



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

Cap. Lib. octaui sunt XIII. De spolijs Clericorum, & pensionibus  
Ecclesiasticus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**

lice, & molestia liberare. Mihi sententia Rebuffi placet.

Decimo quaeritur. Quenam Regula Intrusum intelligat, dicens: (*se non intruserit*.) Quis dicatur in beneficium intrusus, docent Dominicus *c. propter. dist. 19. Felin. c. Veniens. n. 2. Et 3. de Accus. Ioan. Selua, de benef. par. 1. q. 11. n. 9. Et 10. Rebuf. in praxi Beneficior. par. 11. in Regul. de vniuersal. poss. q. 47. Respondeo itaque Intrusum stricte eum, qui sine auctoritate eius, cuius est beneficium conferre, se in beneficium immittit, & intrudit. *c. Ad aures. de excess. Pralat. Vnde qui nullum profus in beneficio ius, & titulum habet, Intrusus vocatur. c. Quia diuersitatem. de concess. Praben. Qui etiam sine titulo se in beneficij administrationem intret, Abbas in c. Cum iam dudum. de praben. Qui itidem, sine Canonico titulo, vel per vim beneficium occupat, & inuestit. *c. Eum qui. de praben. in 6. Hi omnes intrusi vocantur: nec fisti postea beneficium impetrarint, valet impetratio, nulla facta ab ipsis mentione suae in beneficium intrusionis. Abbas cum aliis in c. 1. de concess. prab. Secundo, vocatur etiam Intrusus, qui post electionem ante beneficium administrat, quia ipso iure acquisitum ius amittit. *ca. Auaritia. de elect. in 6. Tertio, qui beneficium adhuc retinet, postquam ab eo per Iudicis sententiam amotus. Immo. in c. Qualiter. 2. de accusat. nisi ab ea sententia ad Superiorem iure pronoucauerit. Quarto, qui beneficium inique alteri ademptum, & omisso iuris ordine detinet, intrusus censetur. *c. Tanto. de excess. Pralat. Quinto, qui a Superiore vinculo excommunicationis, interdicti, vel suspensionis ab officio obstricto, beneficium adeptus est, vel ab eo, qui conferendi potestatem non habebat. *c. vlt. de excess. Pralat. Dominicus in c. vlt. dist. 19. Sexto, dicitur intrusus, late sumpto vocabulo, qui crimen admittit, quo meretur, vt a beneficio amoueat, vel qui vitium habet, cuius causa sit beneficio spoliandus. *Glos. in c. Cum super. de causa posses. Ioan. Selua in tract. de benef. par. 3. q. 11. n. 9. Felin. in c. Veniens. de Accus. Hunc tamen modum Rebuffus non admittit in praxi beneficior. in Regul. de subrege. colligam. 4. n. 14. quia talis Beneficiarius, antequam Iudicis sententia beneficium amittat, ius & titulum habet, ergo intrusus non est, concedit tamen ille pro intruso habendum, qui crimen commisit, ob quod est ipso iure, beneficij priuatus. Sed reuera Glossa, Ioannes Selua, & Felinus de hoc eodem homine intruso locuti esse videntur. Septimo, intrusus dicitur, qui beneficij possessione nanciscitur, sine litteris Pontificijs, quamuis per impetrationem a summo Pontifice simpliciter obsequatam. *Felin. in c. In nostra. de rescrip. Hunc etiam modum Rebuf. excludit, quia Iure Canonico non probatur: nam licet, inquit, extet Constitutio Bonifacij VIII. quae incipit: *Inimula*, & habetur inter communes Extrauagantes, *de elect. ex qua constat, intrusos censeri, qui possessionem consequuntur absque litteris Pontificijs: ea tamen Constitutio tantum de maioribus loquitur dignitatibus: quales sunt Episcopatus, Abbatie & Prioratus. Verum enimvero, hic Rebuffo aliud sentiente, praeterito: extant aliae Romanorum Pontificum Constitutiones, decernentium vtj pro intrusis habeantur, qui litteris Pontificijs minime expeditis, possessionem adipiscuntur quorumlibet beneficiorum, quae impetrantur a Papa: & quia tales Constitutiones in Francia receptae non sunt, ideo Rebuffus, vt pote Gallus, scriptum reliquit, hos minime pro intrusis haberi. Nec aliud est sentiendum de eo, qui absque legitima institutione, beneficij fructus percipit: nam co ipso facto priuatur iure, quod habet in eo beneficio, *ca. Auaritia. de elect. in 6. quare beneficium impetrato, debet huic rei facere mentionem. Octauo, intrusus habetur, qui simpliciter nominatus, vel praesentatus, sed Canonice minime institutus, beneficium administrat, & ipso facto est priuatus beneficio, *c. Auaritia. de elect. in 6. Nominatio etenim, vel praesentatio ius non tribuit in beneficio. cap. Quod sicut. de electione.***********

# IOANNIS AZORII LOR- CITANI E SOCIE- TATE IESV,

## INSTITVTIONVM MORALIVM Pars secunda:

### LIBER OCTAVVS.

De spoliis Clericorum, & Pensionibus Ecclesiasticis, ac de Ecclesiarum bonis alienandis, vel non alienandis, & de Ecclesijs, vel Cappellis aedificandis, & de alijs Ecclesiarum bonis.

#### CAPVT I.

Quo iure spolia Clericorum Romano Pontifici debeantur.



Niger iam haecenus de beneficijs Ecclesiasticis materiam, fufe, & late patentem, quae potuimus breuitate tractauimus. Sed quia cum illis pensiones Ecclesiasticae, & spolia Clericorum, & reliqua Ecclesiarum bona sunt quadam affinitate coniuncta, eo quod sint, vel beneficiorum fructus post obitum Beneficiarium relictis, vel portiones ex ipsis beneficijs percipi solita, vel Ecclesiarum possessiones & res: ideo hoc libro, Deo nobis opem ferente, de his omnibus breuiter agemus, ac primo quidem de spolijs, deinde de pensionibus: Postremo, de rebus, & bonis Ecclesiae non alienandis.

De spolijs Ecclesiasticis tractatum edidit Gulielmus Redoanus veriusque Iuris Consultus in 17. quaest. diuisum. Navarrus quoque de spolijs Clericorum Commentarium scripsit super *c. Non liceas Papa. 12. q. 11.*

Primo quaeritur, Quenam Clericorum bona veniant appellatione spolorum? Respondeo, spolium proprie dici: apud Scriptores Latinos, quicquid hostibus detrahitur, vt in id Virgilianum Seruius notauit:

*Et spolia ampla referat.*

Vnde spolia opima dicuntur, quae dux duci detrahitur cruenta, quae non sine sanguine hostibus auferuntur: At vero spolia Clericorum dicta sunt ea bona, quae Clericis vita functis, Romani Pontificis auctoritate, Fiscus Apostolicus accipit, ne ad eorum haeredes, futurosque in beneficio successores transmittantur.

Secundo quaeritur, Quo modo haec spolia definiantur? Difficile est sane, quae in Iure tum Ciuili, tum Canonico tractantur, velle Philosophorum more, plene scilicet, & exacte definire: quare potius haec spolia describi possunt, quam definiti: Ita vt sint ea bona a Clericis quibuslibet etiam Religiosis ratione, & iure Ecclesiae acquisita, vel ex negotiatione contra Canones comparata, & post obitum relictis. Sic Redoan. *quast. 1. de spol. Eccl. num. 7.* Dicitur: Bona, tanquam genus: spolia enim Clericorum, bona sunt: non tamen e contratio, vniuersa Clericorum bona, sunt spolia. At bonorum nomine generatim accipiuntur bona tum mobilia, vel se mouentia, tum immobilia: Iura item, & actiones, & corpora, quocumque nomine censeantur. haec enim omnia generalia bonorum voca-

bulo comprehenduntur. *l. Bonorum. ff. de verbor. signif. (Qua Clericis quibuslibet etiam Religiosis) vt comprehendantur bona quorumuis Monachorum, Religiosorum, etiam eorum, qui conuersi, vel Donati dicuntur, demum quorumcumque, qui Ecclesiasticae personae in Iure Canonico censentur, hi enim omnes etiam si Clerici non sint, personae tamen Ecclesiasticae habentur, vt docet Glos. in c. Duo sunt. 12. q. 1. c. colligitur ex c. Alia. Et c. Legi. 16. q. 1. c. Non dubium. Et c. de Monialib. de sent. excom. (Ratione, & iure Ecclesia acquisita,) hoc nimirum dicitur, ad includendum ea omnia bona quae Clericus ex beneficijs, vel bonis Ecclesiasticis acquirat: neque enim spolia sunt, aut vocantur, quae ex patrimonio, & haereditate, vel ex arte, industria, opera, labore suo, vel ex donatione aliorum parta Clerici habent. (Vel ex negotiatione contra Canones comparata.) Vt inclusa intelligantur ea bona, quae Beneficiarius lueratur contra Canones negotiando.*

Tertio quaeritur à quibusdam, An Iure communi spolia Clericorum ad Romanum Pontificem pertineant? Hoc ideo in dubium vocant, quia nullus, inquit, reperit Canon, aut constitutio in toto Iure Canonico, quo significetur ea spolia ad Romanum Pontificem spectare. Deinde in ca. Cum vos. de off. Ordin. Et c. praesenti. cod. tit. in 6. constitutum est. vt haec de quibus agimus Clericorum bona futuro successori referentur, aut in Ecclesiae vsus conuertantur. Nam in c. Hoc ius placuit. 12. qu. 2. Et c. Charitatem ibidem. Et c. Quoniam quidam. dist. 75. Et c. Si quis Episcopus. 10. qu. 2. bona Ecclesiae conseruanda sunt successori & ex iure ipso communi constat, quando Ecclesiae, & quando successor Beneficiarium bona etiam collecta, sed non consumpta, ac propterea post obitum relicta debeantur: nam ex c. Relatum. de testamen. nomine Ecclesiae intelligitur Clericorum Collegium. Quare vbi quis est Beneficiarius, cuius beneficium est ex communibus Collegij, & communis mensae bonis, cuiusmodi est Canonicus, & is qui Portionarius vocatur, bona ab eo relicta toti Collegio Clericorum debentur: vbi vero quis est Beneficiarius, cuius beneficium est per se distinctum, & separatim, non ex communi Clericorum mensa, vt pote, quia est Rector alicuius Ecclesiae Parochialis, vel Archipresbyter, Archidiaconus, Praepositus, vel aliam dignitatem, aut beneficium habens, à Collegio Clericorum separatim per se, tunc bona, ex eo beneficio relicta successori referuntur: quia hoc beneficium non ex communibus Collegij bonis existit, vt illud. Abbas. Et alii in cap. Relatum supra dicto. Item, ex iure etiam communi colligitur, quid de his bonis collegium Clericorum, quid item successor statueret iure ipso Canonico debeat. nam vt docet Abbas c. Relatum citato, numer. 6. Collegium Canonicorum potest ea bona in communem mensam conferre, & administrare, sicut caetera ad communem eorum mensam spectantia: Potest, & inter Canonicos distribuere, vt Canones permittunt. Successor vero debet ea bona, sicut reliqua Ecclesiae, in pios vsus impendere. Si Clericus habet beneficia in multis Ecclesijs, bona ex ipsis relicta diuiduntur inter ipsas Ecclesias per congruam aestimationem: ita in eodem c. Relatum, ad finem. hoc est (vti explicat Panormitanus) aut constat ex quo beneficio ea bona sint acquisita, aut dubitatur. Si primum, debentur illi Ecclesiae, in qua situm est beneficium. Si secundum, diuiduntur inter illas Ecclesias, ita vt plus ei reddatur, à qua plus Beneficiarius acceperat: vt si ex vna Ecclesia centum, ex altera bis centum perceperat, priori duae partes debentur. Accedit quod c. 1. de successione. ab intestato Glos. ab omnibus recepta, tradit, bona ex patrimonio acquisita Beneficiarij ab intestato morientis sine legitimis haereditibus Ecclesiae debentur: ergo potiori ratione, huius generis spolia ad ecclesiam pertinebunt. Postremo Romanus Pontifex nequit sine iusta, vel rationabili causa, vnus ecclesiae bona, alteri dare: sed quae dixi spolia communi iure, futuro successor, vel Ecclesiae debentur: ergo cum sit ius alteri quaesitum, Romanus Pontifex alteri sine iusta causa non confert.

Haec & alia quaedam obijciunt contra spolia Clericorum: quae tibi Papa reseruauit, vt propositum in isto quaestione respondeam. Illud dico: ius spoliatorum ab antiquo tempore esse introductum. Nam Cardinalis in cap. Nisi cum pridem. §. Intus, de Renuntiat. aperte testatur vsam, & morem in spolijs Praelatorum decedentium ab antiquo tempore esse seruatum. Et Calderinus consil. 1. de pced. Cleric. refert id ipsum: necnon Guido Papae decis. 110. Nicolaus Boerius decis. 224. & in Rota Auditores decis. 41 de probatio. in antiquis, vt certum ponunt, spolia Praelatorum obuentium, per Pontificias Constitutiones Papae referuari. Vnde Paulus III. in Constitutione sua de spolijs Clericorum, cuius initium est, itaque sicut accepimus, reprehendit eos, qui asserbant, iure antiquo spolia ad Papam non pertinere: simul tradit, ab antiquo tempore ea sedi Apostolicae fuisse reseruata: & non solum spolia Beneficiorum in Italia morientium, sed & omnium aliorum in quibusvis Prouincijs & Regnis, citra & ultra montes, & maria decedentium, etiam ad ea loca Romanus Pontifex spoliatorum Collectores mittere non conueuerit.

Dubitare igitur nemo iure potest, iam olim Romanum Pontificem haec spolia tanquam sibi debita collegisse. Et quanquam ante Paulum III. nullae Constitutiones Pontificiae extent de spolijs Clericorum Papae reseruati: merito tamen credimus, multo ante Pauli III. aetatem, istiusmodi spolia ab Romanis Pontificibus per Collectores suos percipi consueuisse. Nec mirum videtur, si ius Canonicum nihil de spolijs istis vsu am infinuauerit: nimirum, ea paulatim (vt alia etiam non pauca) ipso vsu Romano Pontifici referuari coeperunt, antea vel futuro successor referuabantur: vel certe in utilitatem Ecclesiae conuertebantur. Atque hoc est, quod veteres Ecclesiae Canones supracitati tradiderunt. Vnde in locum Ecclesiae vel successoris est Fiscus Pontificius subrogatus. De his omnibus Redoanus q. 1. de spol. Eccles.

Quarto quaeritur, Quo iure Papa potuerit referuare sibi spolia Clericorum? Non est sine dubitandum, optimo id iure Pontificem facere potuisse. Nam negare quidem non possumus, petes cum esse plenam, & liberam beneficiorum administrationem, vt habetur in cap. licet de probat. in 6. c. Clem. 1. vt sit pendente ad finem. sed administratoris est, bona in domo sui utilitatem dispensare: ergo potest Papa ex beneficiorum fructibus aliqua sibi seruare, vnde Curie, & Ecclesiae Romanae necessitatibus subuenire commodè possit. Deinde quis neget Clericorum spolia si futuro successor, & Ecclesiae debeantur: iure tamen Canonico Romani Pontificis auctoritate firmato debent, non iure diuino, aut naturalis: sed Romanus Pontifex iustis de causis potest eos Canones, & iura mutare, & quae futuro successor, vel Ecclesiae ex beneficio Clericorum debebantur sibi referuare. Vt enim vel successor, vel Ecclesiae ea debebantur ad necessitates eorum subleuandas: ita iuste Romano Pontifici referuantur, vt habeat vnde sibi in difficultatibus & necessitatibus subueniat: quae quidem neque pauciores, neque minores solent esse, quam Ecclesiae, vel successoris. Romanus item Pontifex potest fructus beneficiorum ad certum tempus vacantium quibusdam Episcopis iure conferre, ad eos commodo vitae subsidio sustentandos: cur igitur non sibi poterit ex beneficijs aliqua retinere? Postremo Ecclesiae bona, praeter necessariam portionem ad Clericos honeste alendos, secundum Canones, & Iura, in pios vsus impendi debent: ergo minime mirandum, si vsibus Ecclesiae Romanae referuentur. nec enim Romanus Pontifex, aut eius Fiscus is, qui Camera Apostolica vocatur, & Sacra Curia detentionis est conditionis: nec priuatorum est hominum iudicare, indigeat necne Curia Romana, & Camera Apostolica his spolijs: Principis enim est Reipublicae bene consulentis, non alterius id iudicare.

Ex his licet intelligere, in hisce spolijs Clericorum pleno Iure Romanum successisse Pontificem, eiusque Fi-

scum, loco Ecclesie vel futuri successoris: id est dicere: Quemadmodum olim hæc bona Clericorum post obitum relicta debebantur Ecclesie vel successoribus ita modo, tanquam debita, ad Fiscum Pontificium spectant: quia quemadmodum olim Canones, & Iura voluerunt, ut ea bona Ecclesie, vel successoribus referuarentur, ita Constitutiones etiam Apostolicæ sanxerunt, ut Fiscus Pontificio illa referuarentur, debeanturque. *Redo. q. 1. de spol. Eccl.*

Quinto quaeritur, An spolia Clericorum Fiscus Pontificio fiat debita ante Iudicis sententiam? Debetur. Primo, quia ut paulo ante monui, Fiscus subrogatus est in locum Ecclesie, vel successoribus, cui olim ea bona debeantur etiam secundum conscientiam ante vllam Iudicis sententiam: eodem ergo iure, & ratione, Fiscus quoque Pontificio debetur ante vllam Iudicis sententiam. Deinde quia Constitutiones Apostolicæ quibus hæc bona Papæ referuantur, in hunc modum habent: *Declaramus, vel decernimus, hæc spolia ad Cameram Apostolicam spectasse, & spectare. Item sic: Incorporamus ee, appropriamus, applicamus: illud, applicata, appropriata & incorporata fore, & esse statuimus.* Hæc autem verba continent sententiam ipso iure latam, non ferendam. nam vt docet Glossa, à qua nemo discrepat Canonici iuris interpretum, in *cap. Quicumque. de Hæret. in 6.* lex sancita & promulgata per participium, vel per verbum præteriti temporis, continet sententiam non à Iudice ferendam, sed ipso iure latam. Postremo, quia Romani Pontifices hæc sibi bona referuarent, ea igitur nemo sibi tuta potest conscientia retinere. Sed nunquid ea spolia Pontifici prius solui debent, quam à Pontificis Collectoribus repetantur? Conseruando in Ecclesia recepta, in hæc parte seruanda est: nam vbi positum in more fuerit, vt non nisi cum petuntur, soluantur, non debentur ante: alioqui vero solui debent, antequam petantur, cum ad Fiscum Pontificium spectent.

Sexto quaeritur, An dominium talium bonorum transeat ad Fiscum Pontificium, sine vlla traditione rei? Transit: nam vt tradunt omnes: vbi est vniuersitas rerum, vt sunt actiones, iura, & corpora, dominium sine traditione transferitur: sed in his spolijs Clericorum, hæc tria continentur: ergo dominium sine vlla traditione transit ad Fiscum, quoniam Constitutiones Apostolicæ hæc spolia Fiscus Pontificio referuarent, ipso iure dominium ad ipsum quoque transfulerunt. Accedit, quod olim, cum hæc bona Ecclesie, vel successoribus referuabantur ex iure, eo ipso dominium eorum ad Ecclesiam, vel successorem transibat: sed Fiscus Pontificius in locum Ecclesie, vel successoribus est successus, igitur ad ipsum spectat. Quo fit, vt saltem spoliolorum possessor, ea debeat secundum conscientiam Pontificio Fiscus reddere.

At pœna, dicit quispiam, minime debetur ante Iudicis condemnationem: sed spolia Clericorum Fiscus Pontificio debentur tanquam pœna delicti, cum Beneficiarius in vsu pauperum, quod supererat ex beneficijs, minime impenderint, vt debebant: aut quod contra Canones negociando, ea lucrifecerint. Respondeo, hæc bona non debentur Fiscus Pontificio tanquam pœnas delictorum, sed tanquam bona, quæ Romani Pontifices sibi referuarent, & ad suum Fiscum pertinere optimo iure voluerunt. Ex quo etiam perspicitur, occultum horum spoliolorum possessorem in foro conscientie tutum non esse, nisi ea Fiscus reddat Pontificio: nam licet Ecclesia de occultis non iudicet, *cap. sicut tuus: de Simonia*, hæc tamen bona ante vllam Iudicis sententiam in conscientie foro debentur, quia in Fiscus Apostolici dominium transferunt eo ipso iure, quo sunt ipsi referuata: quare debitoribus alicuius rei, quæ ad spoliolum pertinet, soluere minime debent ipsi spoliolorum possessori tanquam creditori, non enim liberantur à debito, cum non soluant ei cui debent: nam Fiscus Apostolico debent, non spoliolorum possessori, nisi bona fide possessori soluerint. Item si possessor spoliolorum aliquid ex spolijs alienet, nullius erit momenti alienatio, & statim Fiscus Apostolicus id potest sibi vindicare tanquam

suum. Hæres item Clerici debet spolia Camere soluere Pontificie, nec exigere potest contra coheredes, vel contra debitores in spolijs exigendis. Hinc etiam fit, vt ipso facto in excommunicationem incurrant, quæ irrogari solet ijs, qui vel per vim, vel clam, vel inique detinent res Fiscus, siue Camere Apostolicæ debitas.

## CAP. II.

### De spolijs Clericorum, ex negociatione contra Canones acquisitis.

PRIMO quaeritur, Quæ bona à Clericis ex negociatione contra Canones acquisita, spolia censentur? Respondeo, Pium IV. Constitutionem promulgasse, quæ incipit: *Decens*, quam ad verbum habes apud Redoanum, *qu. 2. de spol. Eccl.* vbi inter alia, hunc in modum ait: *Decernimus, & declaramus omnia, & singula, res, & bona cuiuscunque qualitatis, & quantitatis, existentia, ac in quibusvis rebus, regnis, & dominijs tam ultra, quam citra montes, & maria consistentia, per quosuis Clericos, tam seculares, quam Regulares, etiam Mendicantium Ordinum, ac Militarium, etiam in sacris Ordinibus constitutos, cuiuscunque status, Ordinis, & conditionis fuerint, etiam si Episcopali, Archiepiscopali, vel alia maiori dignitate præfulgeant, ex negociatione illicita, aut alia contra sacros Canones quomodolibet acquisita, pro tempore post obitum eorum, qui etiam ex facultate, quam habuerint testandi, condito testamento, vbiuis locorum decesserint, aut quibus etiam illos viuentes priuari, aut eis destituti contigerit, a tenentibus remanerunt, aut in posterum remanerent, ad eandem Cameram, & ob alios: etiam in quibusuis Cathedralibus, Metropolitanis, Collegiatis, ac alijs Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, Militijs, ceterisque beneficijs Ecclesiasticis, cum cura, & sine cura, secularibus, & quoruncunque Ordinum Regularibus qualitercunque qualificatis, successores illa in titulum commendam, administrationem, commissionem, ac alias quomodolibet obtinentes, etiam si ad illa vigore prioris tituli sui regressendi, vel accedendi, vel ingrediendi aliquibus concessum fuerit, spectasse, ac spectare, ac sub nomine spoliolorum venire: illaque tanquam spolia ad eandem Cameram pertinentia, perpetuo colligi, & recuperari potuisse, ac posse ac debere, prout in singulis litteris plenius continetur.* Hæc ibi. Vnde omnia acquisita à Clericis, vel Monachis, vel religiosis per negociationem illicitam, vel alias contra sacros Canones, quæ post obitum ipsorum extant, vel quibus in vita priuantur, vbi que gentium pertinent ad Fiscum Apostolicum, etiam si accepta facultate testandi testati fuerint. Noluit Pontifex vt facultas accepta testandi, ad huiusmodi bona protenderetur: imo facultas data ad testandum, intelligitur data ad testandum de bonis licite acquisitis. In qua Constitutione, vt Nauarrus tractatu supra citato, annotauit, conditum est nouum ius: spolia enim Clericorum antea solum censentur bona, quæ ex beneficijs acquisita, post obitum Beneficiariorum superant. Item secundum Canones, & Iura antiqua, ad Monasterium pertinebant, quæcumque Monachus, vel Religiosus certam Regulam professus negociando, vel alio modo acquirebat, vt colligitur ex *cap. Cum olim. de priuil. & Authen. Ingressi, de sacrosanct. Eccl. & ca. Ne dicatis. 12. q. 1.* ex quo fit, vt post Constitutionem Pontificiam Pij IV. si Monachus, vel Religiosus, sine legitima facultate Monasterium egressus aliquid lucretur, quod post obitum ipsius extet, vel quo in vita priuetur, totum id Camere Apostolicæ, non ipsi Monasterio debeat: quod si Monasterium id sibi usurpauerit, restituere debet Camere Pontificie.

Secundo quaeritur, Cuiam iure communi debeantur, quæ Clericus acquirit ex illicita contra Canones negociatione, si intestatus decedat? Hanc questionem vau propofuit Panormitanus in *cap. Relatum 2. de testamen. re. fertque Holtiensem scripsisse, sedandos esse clamores, si qui excitentur, quæ verba idem Panormitanus interpre-*

tatur, si qui ea bona repetunt, esse illis reddenda: si minus, per Episcopum inter pauperes dividenda: *ut potest colligi ex c. Qui habetis. 12. q. 5.* Ceterum ipse cenfer, cuiusmodi bona si non sunt restituenda ei, a quo Clericus contra iustitiam leges accepit, in ipsius Clerici dominium transisse, quoniam licet contra Canones negociando peccauerit, sibi tamen acquisiuit, quod lucrificet: & ideo potest id suo arbitratu in quoslibet usus infundere, perinde ac si ad suum patrimonium pertineret: quod si intestatus excedit euius, eius heredibus debetur. Circa pro hac sententia *Gloss. in c. ex transmissa. de Cames. c. 4. qu. 5. in summa. c. 4. qu. 1. c. Non est putanda.* Unde percipitur, iure optimo Romanos Pontifices sibi hac bona vendicasse, & Fisco Pontificio addidisse tanquam spolia.

Tertio quaeritur, An quae dixi bona ex illicita negotiatione comparata, ante condemnatum crimen, vel latam à Iudice sententiam, debeantur in foro conscientiae, ipsi Pontifici Romano: Quidam negant deberi, eo quod haec spolia debentur tanquam poena delicti, videlicet negociatione illicita: sed poena ante delictum sententia Iudicis damnatum, solum in foro ad conscientiam spectante non debet, ut est omnium opinio. Ceterum haec sententia cum Constitutione Apostolica pugnare videtur. Nam Pius IV. haec spolia ad Camera Apostolicam pertinere decernit, & declarat ea esse spolia, ac proinde tanquam spolia Camerae Apostolicae deberi, & ut talia posse peri, & colligi. Peccant quidem Clerici negociantes contra sacros Canones, sed nihilominus luera ex tali negociatione comparata, Papa tanquam spolia sibi referuat, non solum in poenam delicti, sed ut ea quasi male acquisita Fiscus Apostolicus eodem iure habeat, quo reliqua Clericorum spolia. Dices, in reliquis spolijs, Fiscum Apostolicum succedere in locum Ecclesiae, vel successoris, cui olim debebantur: at huiusmodi luera, ex illicita negotiatione parata non debebantur Ecclesiae, vel successori. Respondeo, hoc nihil refert, quoniam Papa haec etiam luera sibi referuat: nam in Religioso Monasterio debebantur, cuius in locum Camera Apostolica substituta acquirit. In Clericis vero saecularibus luera huiusmodi in ipsorum Clericorum ius & dominium, non aliorum cedebant. At Papa in Clericorum locum, suum Fiscum merito subrogauit.

Quarto quaeritur, An ea Pij Quarti Constitutio stricte an ample sit interpretanda? Questionem mouet, quia videtur poenam continere, & odium, & ideo strictim accipienda: aufert enim à Clericorum hereditibus, acquisita per ipsos Clericos bona. Respondeo, eam Constitutionem simple esse intelligendam, quia perniciosa, & odiosa non est. Deinde, quia potius ius antiquum declarat, quam constituit nouum: quod & ipse Pontifex insinuat illis verbis: *Nos omnem in super haesitationis materiam submouere cupientes: decernimus, & declaramus.* Quare, cum in hac Constitutione dicitur: *Es alias contra sacros Canones comparata: vox Canones latius est explicanda, ut docet Redoan. q. 2. de spolijs Eccl. n. 83.* ita ut illo vocabulo omnis iuris communis Canonica Constitutio, siue decretum, siue decretalis Epistola, dogma, sanctio, interdictum, vel mandatum accipiatur: haec enim & similia, in iure lato modo Canones solent appellari. proprie autem, & strictim, ita ut sonat, Canon dicitur Constitutio in Concilio generali sancita *Gloss. in c. Canon. dist. 3.*

Quinto quaeritur, Quoniam iure veniant nomine negotiationis illicitae? Respondeo, à negotiatione, vel mercatura Clericos arceri, ea videlicet, quae aliquid emitur, ut profusus non mutatum carius vendatur: atque haec proprie in hac Constitutione negociatio illicita vocatur, quia est Clericis interdictum negociari. *14. q. 4. cap. Canonum. c. cap. nunquam, de consecrat. dist. 5.* Nec tamen Clerici prohibentur aliquid emere, & deinde arte, industria, vel alio modo mutatum vendere: in his enim non est negotiatio, sed artificium, *Redoan. quaest. 2. de spolijs Eccl. numer. 15.* Dubitet aliquis, An spoliolum cenferatur, quod Clericus semel

tantum negociando comparauerit? Respondeo, si olim cenferi: quia licet negociatores, vel mercatores non intelligantur in iure, qui semel tantum aut iterum negociantur: at tamen Pontificia Constitutio absolute dicit spolia cenferi, quaecumque maxime ex illicita negotiatione Clericus acquisierit, *Redoan. q. 2. de spolijs Eccl. n. 65. ad finem.*

Sexto quaeritur, Quid significetur illis verbis: *Vel alias contra sacros Canones acquisita:* Respondeo, haec verba fuisse addita à Pontifice, ut multa alia comprehenderet, praeter ea, quae ex negotiatione Clericis interdicta quaeruntur: huiusmodi nimirum sunt, quae Clerici perciperunt ex beneficijs contra iura possessis, ex officijs civilibus, aut Regularibus contra Canones administratis, exercitatione Medicinae, Chirurgiae, aliarum ve artium ad corporis curam pertinentium, quae nimirum, sine sanguinis effusione non exercentur, Nam *cap. Sententiam, ne Clerici, vel Monachi, dicitur: Nec vllam Chirurgia artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, qua adusionem, vel incisionem inducit: Et ex multis alijs obsequijs, quae Clerici Regibus, Principibus, alijsque primarijs viris contra quam statuerunt Ecclesiae Canones, exhibere solent. capit. 1. & 2. c. cap. Sed nos Procuratores, c. cap. Sententiam sanguinis, c. Secundum, ne Clerici, vel Monachi, multa officia contractus, & obsequia Clericis, & Monachis interdicitur: item c. 1. & 2. de postulando interdicitur Clericis munere & officio Advocati, ac proinde etiam Procuratoris apud Iudices saeculares. c. Clerici, de vita & honestate Cler. prohibentur Clerici arma deferre: ac proinde illis est interdicta venatio, vel aucupium, ministerio canum, vel armorum praesidio fieri solita.*

Septimo quaeritur, An etiam comprehendantur praedictis verbis turpiter, vel male acquisita, quae restitui debent ei, à quo sunt accepta? Respondeo, cum *Redoan. q. 2. de spolijs Eccl. n. 93.* Minime, quia Pontifex licet generatim loquatur, non tamen videtur velle tollere ius quicquam alteri. Item quae restitui debent, in bonis Clericis non computantur unde Innocentius in c. *Quia plerique, de Immunit. Eccl. Regularum ponit generale: haec videlicet restitutionem fieri debere, quociescumque fuerit commissum furtum, rapina, oppressio, dolus, vel calumnia. 14. q. 5. c. vlt. Et per haec, inquit, comprehenduntur omnes casus, in quibus competit restitutio, siue per actionem legis: puta metus causa, vel de dolo, vel calumnia, & similia, siue Iudicis officio. Item, quod tenetur quis restituere siue iure naturali tantum, quale est quod sermo debetur: vel iure civili ut quod bona fidei possessori, vel ei, qui aliquid praescripsit, vel exceptione tantum, ut qui Senatus consulto Macedoniano tenetur aliquid restituere. Pariratione, si quippiam Clericus accepit donatum à filio familiae, vel minori siue consensu patris, tutoris, vel curatoris, vel decreto Iudicis inter spolia haberi non potest. Haec tenus ex Innocentio. Haec igitur intra spolia non computantur. *Redoan. q. 2. de spolijs Eccl. n. 101. c. 102. c. seqq.**

Octavo quaeritur, An quae Clericus, Monachus vel Religiosus, ex ludo sibi comparauit, habere inter spolia debeant? Debet haberi, si ludus sit Clericis per sacros Canones interdictus, qualis est aleae lusus. Monachi vero vel Religiosi quociescumque citra superioris consensum ludunt, quidquid acquirunt, contra Canones intelligantur acquirere, quia in illis velle vel nolle, non est ab aliquo superioris assensu. Non tamen quidquid saeculares Clerici lucrificerint ex ludo Synodalibus tantummodo Constitutionibus interdicto, ad spolia pertinet: nec item, si quid Clericus acquisierit, siue ex ludo, siue ex contractu, siue ex officio, contra speciale solummodo vel generale Episcopi mandatum, venit nomine spolijs: haec enim & similia nequaquam contra sacros Ecclesiae Canones comparantur.

Nono quaeritur, An Clericorum nomine veniant in hac etiam Constitutione Clerici minoribus: initiati Ordinibus omnique beneficio carentes Ecclesiastico? Veniunt ut ait *Redoanus*, quia in Constitutione generatim dicitur:

per quoslibet Clericos. Sed animaduertendum multa in iure Canonico, Clericis Beneficiariis, vel in sacris ordinibus constitutis esse interdicta, à quibus Clerici minores non prohibentur: veluti Aduocati munere, & officio fungi coram iudicibus secularibus interdictum est Clericis sacros ordines, vel beneficium habentibus; Clericis vero minoribus non item: & ideo multa ab illis acquisita inter spolia habentur: quae tamen si ab his fuerint comparata, spolia non erunt, quia contra sacros Canones non sunt acquisita. Ego vero appellatione Clericorum intelligendos arbitror, non solum Sacerdotes, Diaconos & Subdiaconos, sed etiam Clericos minores, non quidem omni ex parte, sed ex aliqua: nam ceteris Clericis minoribus initiationis ordinibus per Ecclesiae Canones non est negociatione interdictum, nisi dum Beneficiarij, aut Pensionarij sunt: ac proinde minores Clerici beneficia, aut pensiones Ecclesiasticas habentes, comprehenduntur Clericorum vocabulo.

Decimo quaeritur, Quot genera Clericorum per Pontificiam declarationem à praefata Constitutione sint excepta? Haec tria genera excipiuntur: Cardinalium scilicet: Habitantium in Vrbe, vel Curiam Romanam sectantium, & in ea morientium, & eorum, qui priuilegium speciale, vel generale testandi ratione suorum, vel alias quomodocumque habent, tamen extra Curiam decederent. Sic enim habet declaratio Pont. Pij V. Litteras nostras, inquit, praedictas ad S. R. E. Cardinales, etiam si vbiuis locorum decederent, ac eorum bona vbiique existentia, nullo pacto, ac Vrbes & Curiam praefatas, nec non Praelatos, Officiales, & alios seculares, cuiusvis ordinis Regulares Clericos: ceterosque tam in Vrbe, & Curia praefatis, pro tempore existentes, & in ea, seu eius districtu decedentes, quam alias, alibi, vbiuis locorum, etiam vltra montes, & maria existentes, testandi tamen, codicillandi, & alias de bonis suis quibuscumque, quomodolibet disponendi facultatem, seu etiam quod eis ab intestato decedentibus, eorum bona ad ipsorum proximiores, & qui nisi beneficiati essent succedere deberent, deuoluantur, & debeant ab Apostolica sede, vel officiorum suorum ratione priuilegiarum, aut ex alio quouis titulo pro tempore habentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & praerogatiuae personis, minime se extendere, neque illos, aut eorum aliquem comprehendere. Sic verba declarationis habent, & ante Pium IV. Sixtus IV. Alexander VI. Leo X. eosdem Clericos exceperant teste Redoano q. l. de spol. nu. 48. Excipiuntur itaque Cardinales, & Vrbes incolae, & qui Curiam Romanam sequuntur, nisi aliud Curiae stylus, & vltus habuerit, vt habere solet, quod attinet ad Clericos, Vrbes incolae, vel Curiam Romanam sectantes. Teste quoque Redoano, exempli sui milites sacrae militiae ordinis Hierosolym. horum enim milium morientium bona siue ex beneficijs sint, & administrationibus commendatis acquisita, siue ex negociatione illicita ab eis parata, & comparata, ad ipsius militiae ordinem pertinent: ac proinde in eiusmodi bonis ipsa Religio succedit statuti Religionis summi Pontificis auctoritate confirmatis; in quibus caput, quod incipit, Cum bona, sic habet: Cum bona, & facultates, quae Ordo noster possidet, & priorum hominum liberalitate collata sint ad sustinendas hospitalitatis impensas, & propulsandos Christiani nominis hostes: certum est, fratres nostros proprijs in eis, aut priuati iuris nihil habere, sed eorum verum dominium, ac proprietatem, & possessionem ad solum ipsum Ordinem nostrum spectare. Verum cum in commune recte administrari non possent propter locorum distantiam, & dissidentiam nationum: Maiores nostri ea vitium fratribus per partes regenda commendauerunt. Vnde nomen Commendarum sumpturum, impositum annuis pensionibus, quae auerentur, & minuerentur prout, & rei, & temporis, hoc est, necessitati conuenire visum est. Etenim vt minimum quinta, saepe quarta fructuum pari penditur, & in commune ararium infertur iubetur: nonnunquam etiam dimidia, vel omnes etiam fructus, si ita à Capitulo Generali fuerit statutum:

pene quod vnum imponendarum, & assignandarum pensionum, & collationum huiusmodi, quae Responsionis, & impositiones vocantur, ius est. Id autem quod à quoquam sit pendendum, & soluendum, decernit, & publice declarat discretum, & declarationem suam Prioribus, Castellano Emposta, & Capitulis provincialibus, per litteras suas significat, mandataque, vt pensiones à se impositas exigi, per solus ab administratoribus proeurent, si qui fratrum nostrorum esse mandatis, ac scriptis non paruerint, habitu priuenter. Ex in ea consuetudo, decernitur sic: Consuetudo laudabilis, & inueterata in nostro Ordine inoleuit, vt per obitum Priorum, Castellani, Emposta, Balliuorum, Commendariorum, & aliorum administratorum bonorum nostri Ordinis commune nostrum ararium percipiat iure mortuarij & vacantis: id est, pro mortuario fructus Prioratus, Balliuatus, & Commende, & administrationis, à die obitus Prioris, Balliui, aut Commendatarij vsque ad dictum festum Natiuitatis S. Iohannis Baptista proxime sequentem: & pro vacante, ab eo die vsque ad alium festum S. Iohannis Baptista proxime futurum peracto anno, praeter, & ultra iura spoliatorum quae ad idem commune ararium spectant. Quam consuetudinem hac lege, & statuto confirmamus, & pro lege haberi volumus, & obseruari mandamus. Rursum in c. Omnia bona, sic statutum est: Omnia bona mobilia, ac se mouentia quorumcumque fratrum nostrorum tam in Conuentu, quam extra decedentium, cuiuscumque conditionis, & qualitatis fuerint, quae spolia vocantur, ad commune nostrum ararium pleno iure pertinent, exceptis fratribus Capellanis obedientia, & seruientibus. Officij quorum spolia perueniunt ad illos, in quorum Prioratibus, aut commendis residentiam, & stagium habuerint. Haec ibi.

Vndecimo quaeritur, An cum dubitatur, sint nece ex illicita negociatione acquisita bona, quae Beneficiarius post obitum relinquit, credi potius debeat ea esse licite comparata? Respondeo, potius esse credendum fuisse licite acquisita: nam negociatio est Clericis interdicta: ergo nisi id constiterit, non est credendum Clericum deliquisse, & contra sacros Canones negociatum fuisse. Vnde Pánuorm. in c. de peculo Cleric. Praelatus, inquit, non videtur ex negociatione acquisisse: neque enim credendum est, eum in negociando delictum admisisse: nemo enim, nisi cum manifeste constet, creditur esse malus. Sic etiam Roma. in cons. 159. quem & sequitur Redoanus de spol. Eccl. q. 15. num. 30.

Duodecimo quaeritur, An ad fiscum Apost. pertineat, cum intendit litem de spolijs Clericis probare, haec aut illa bona, quae Beneficiarius post obitum relinquit, ex illicita negociatione fuisse acquisita, An vero potius ad haeredem Clerici? Respondet Redoanus de spolijs Eccl. q. 15. nu. 30. cui & ipse assentior, ad Fiscum id Apostolicum pertinere: quippe negociatio, res est facti, non iuris. at facta non praesumuntur, nisi constet contra communem sententiam. l. sciendum ff. de verbor. obliga. nec est credendum, Clericum, negociatione deliquisse.

### CAP. III.

#### De spolijs Clericorum, quae sunt bona ex beneficiariorum fructibus post obitum relicta.

Secundum genus spoliatorum Ecclesiasticorum constitit in bonis, quae ex beneficijs acquiruntur, ac post obitum Clerici relinquuntur.

Primo quaeritur, An spolia censeantur, quaecumque Beneficiarij ad se sustentandum ex beneficijs poterant impendere, sed non impenderunt, quia aliunde commodum vitae subsidium habuerunt? Ratio huius quaestio. est, quia Clerici Beneficiarij plerumque Regib. Principibus, aut viris alijs primarijs intersuunt, à quibus debita stipendia accipiunt, vnde, vt par est, honeste sustentantur: quare ex beneficiariorum fructibus nihil in victum, vel vestitum impendunt. Sunt duae opinioniones: vna est affirmatiua, quae placet Redoano

doano de spol. Eccl. q. 9. n. 8. Et sequentibus altera negotium est, uti Couarruiaz in c. Cum in officiis, de testam. vers. Tercio ex eadem, quæ & mihi probabilior videtur ea ratione è natura ducta, quod Beneficiario tanquam laboranti stipendium, & merces debetur: ergo etiam si aliunde commode sustentetur, nihilo tamen minus non amittit ille sui laboris, & operæ debitum stipendium: eodem prorsus modo, quo licet ex sui quod habet patrimonij bonis alatur, tuta potest conscientia ex beneficij fructibus id sumere, quod ex patrimonio ad suum victum, & vestitum impendit. Sed opponet nobis Redoanus, Beneficiarios tantum esse vsuarios, ut ait Glossa in c. ult. de peculio Clerico. Et in c. Cum olim, de rerum permut. Et in c. ult. de pignor. tum ea. Quia nos, de testam. Demus id Glossam sensisse, ac non negabit profecto Redoanus, ex beneficij fructibus posse Beneficiarium aliquid, licet aliunde se alentem, ac tuentem, ut debitam laboris sui mercedem, optimo iure percipere Redoanus, Ecclesia Clerico non debet beneficij fructus nisi tanquam vitæ alimenta, sed hæc debentur solum indigenti, qualis proculdubio Clericus non est, cui aliunde iuppedit ad vitam commode tuendam. Verum quidem id est, sed quod iam supra diximus, Beneficiario, fructuum debetur pars non solum tanquam vitæ necessaria, sed etiam tanquam laboris merces, & stipendium, ac proinde debetur etiam eidem quamuis patrimonium idoneum habenti ad suæ vitæ sustentationem: Dignus enim est operarijs mercede sua, Et cibo: uti Dominus dixit, & Apostolus: Quis militat, inquit, suis stipendijs unquam? Nec boui trituranti os alligatur: quate sicut hæc bona sibi Beneficiarius facit sua, & iure communi ad hæredes transmittit, non ad Ecclesiam, vel successorem: sic etiam nunc ad hæredes transmittit.

Mat. 10.  
Luc. 10.  
1. Cor.  
9.

Secundo queritur, An inter spolia cenferi debeant quæcumque Beneficiarius parcius viuendo sibi subtrahit & referuat ex beneficij fructibus? Redoanus loco citat. affirmat, negat Nauar. in tract. de spolijs Clericorum, & meo quidem iudicio probabilis, ac verius: quoniam prior ille in ea fuit opinione, quæ fructus beneficij solum Clerico vult deberi, tanquam alimenta vitæ necessaria, cum tamen debeantur tanquam laboris stipendium, & merces. Operarius vero non ideo, quia velit parcius viuere, amittit aliquid ex debito sibi stipendio: ergo Beneficiarius, nihilominus acquirit sibi totam fructuum partem, suæ vitæ necessariam tanquam debitam mercedem: iure igitur, suo arbitratu id quod sibi subtrahit, in quousus vsus impendit, nec tanquam spoliū, ad Fiscum pertinet Apostolicum. Quemadmodum igitur Beneficiarius huiusmodi bona potest cui voluerit donare, sic in morte potest testamento legare, ut sua.

Tertio queritur, An Apostolicus Fiscus soluere debeat æs alienum, quod contraxit clericus, cuius mortui spolia acquisiuit? Respondeo, hunc modum: Cum Camera Apostolica in Ecclesiæ, vel successoris locum subrogata sit, cogitur ea debita soluere, quæ alioqui Ecclesia, vel successor soluere debebat: cætera vero debita non item: ac successor ad soluendum omnia Beneficiarij debita minime compellitur. Aut. n. Beneficiarius, res. lib. Ioan. Andr. Et Panormi ano. c. x. de solutionibus Et Anton. Et Imola in ca. peruenit de fideius. æs alienum contraxit nomine suo, & suæ utilitatis causa, aut suæ Ecclesiæ gratia, & nomine. Si primum, successor non debet id alienum æs soluere: si secundum, debet, quia sunt potius Ecclesiæ debita, quam Clerici. Ita fit, ut si Beneficiarius æs alienum contraxerit suæ causa valitudinis tuendæ, & conseruandæ, id soluendum à successore sit, eo iure quo Ecclesia ministrum suum alit, & sustentat. Si vero Clericus ad res suas, vt potius, vineam, vel agrum colendum, vel domum meliorem reddendam, æs fecerit alienum, nullo iure compellitur. Eodem iure tenetur Fiscus Apostolicus, quo successor, aut Ecclesia olim iure communi tenebatur, quoniam in eius locum subrogatus est.

Quarto queritur, An quando dubitatur bona, quæ ex

tant, post obitum beneficiarij, sunt ne acquisita ex fructibus beneficij, An ex patrimonio, industria, vel arte, in spolijs sint habenda? Redoanus de spolijs Ecclesijs. q. 3. §. Quid dicendum, n. 1. Et seq. ea bona vult in spolijs Ecclesiæ computari: ob eam rationem, quod ubi nos dubij sumus, credere potius debemus ad Ecclesiam pertinere, quia Iura, & Canones sanxerunt, ut res Clerici manifeste sint separatæ à reb. & bonis Ecclesiæ, ac proinde, nisi clare constet sint res Clerici, an Ecclesiæ, melius, & potius est ius Ecclesiæ, quam Clerici: ac proinde pro iure Ecclesiæ iudicare debemus.

Quinto queritur, An empta per Clericum nomine suo: non Ecclesiæ ex fructibus beneficij, vel ex bonis ecclesijs, pertineant ad spoliatorum bona? Hæc quæstio pendet ex illa quæstione: An quæ emit Beneficiarius ex fructibus sui beneficij, vel ex bonis suæ Ecclesiæ, nomine suo non ipsius Ecclesiæ, debeantur ecclesiæ, iure communi? Nam si Ecclesiæ debeantur, ita ut facta sint ipsius, ea Beneficiarius non facit sua. Si vero Ecclesiæ, minime debentur, ea sibi Clericus acquirit: & proinde Beneficiarius statuere de illis suo arbitratu potest, & sic post obitum ipsius, ad hæredem ab intestato transibunt. Quidam opinantur promiscue, hæc bona nec statim ipso iure in Ecclesiæ dominium transire, nec etiam ad Fiscum Apostolicum pertinere, sed posse per Beneficiarium, dum ipsi viuunt alienari, id ex Pontificijs Constitutionibus Iulij III. Pauli III. & IV. de spolijs, probare cõtendunt: in quibus Constitutionibus habetur, immobilia bona, quæ emunt Beneficiarij suo, non ipsius Ecclesiæ nomine ex redditibus beneficiorum, non fieri ipso iure Ecclesiæ: alioqui si in ius Ecclesiæ transirent, prædicti Pontifices non distinguerent hæc bona ab ijs, quæ Beneficiarij viuentes ecclesiæ donant, cum aiunt bona, ex redditibus beneficiorum empta, si fuerint Ecclesijs donata, nequaquam esse in spolijs numeranda, ergo significant Pontifices, quam diu Ecclesiæ donata non sunt, ad eam minime pertinere, ita vt alienari per Beneficiarium queant. Sed hoc nihil ad nos in quæstione proposito: nam licet Beneficiarius dum viuunt, ea possit bona in quos voluerit vsus impendere, vt quæ nondum in Ecclesiæ dominium transierint: tamen si post eius obitum ita relinquuntur, vt nihil de ipsis beneficiarius statuerit, dubiæ quæstionis est, An in ipsis iure communi Ecclesia succedat, an potius hæres ab intestato. Nam si iure communi ad Ecclesiam pertinent: ad Fiscum quoque Apostolicum ea spectare necesse est. Quidquid isti dicant, distinguendum omnino est: aut enim loquimur de ijs, quæ emit Clericus ex fructibus sui beneficij & hæc sibi acquirit, si suo nomine, non ecclesiæ emit: aut loquimur de ijs, quæ emit Beneficiarius ex bonis ecclesiæ, quamuis suo non ecclesiæ nomine emerit, & hæc Beneficiarius sibi non acquirit: quia huiusmodi bona empta, fiunt ipsius Ecclesiæ.

Quæstio quidem est apud Iuris Canonici peritos; An huiusmodi bona à die quo empta sunt, in dominium ecclesiæ? Interest enim multum, res nostra fiat, an tantum nobis debeat: nam illud actionem in rem ipsam parit, ac gignit, hoc vero actionem in personam nobis obligat. Sunt duæ hæc de re sententiæ, æq; à nobis fusius suo loco tractatæ. Vna docet, ea bona à Clerico empta, statim in Ecclesiæ ius, & dominium transire: quæ fuit Glossæ opinio, & Hostiensis, Ioan. Andree, Cardinalis, Barbarij, Romani, Corseti, & aliorum, quos referit Couarruiaz de testam. c. x. nu. 5. Altera est sententiæ: à die quo empta sunt, deberi quidem hæc bona ecclesiæ, sed non statim in eius dominium transferri: à die vero, quo Beneficiarius è viuus excessit, in Ecclesiæ ius, & potestatem transire, ita vt tunc Ecclesia vendicare, tanquam sua, & sibi capere possit. Nam licet empta ex aliena pecunia fiat emptoris, non domini pecuniæ aliquando tamen ipsius sit cuius est pecunia, videlicet in sex casibus, quos enumerat Hostiensis in cap. inquirendum, de pecul. Cler. vt res empta ex pecunia pupilli, vel minoris, sit ipsius pupilli, vel minoris.

Idem

Idem iuris est in rem empta a matro, ex pecunia sibi data ab uxore, & in rem empta a libero vel seruo, ex pecunia patroni, vel domini, & in rem empta ex pecunia funcbri. Sic etiam in rem empta ex bonis Ecclesiarum, sit ipsius Ecclesiarum. Et quid sit de qua sioue, Au statim, vt empta est, in Ecclesia dominium transeat, Au vero potius, cum Beneficiarius decederit, nihil attinet ad presentem questionem de spoliis quoniam bona empta, ex rebus, vel pecunijs Ecclesiarum, inter spolia Clericorum non habentur, quoniam, vel statim, vt empta sunt ipsius Ecclesiarum, vel saltem debentur illi, vnde siue a die quo empta sunt, siue a die quo Beneficiarius moriatur, ad Ecclesiam pertinent. Si loquamur de ijs, quae emitt Clericus ex fructibus sui beneficii, ea sunt eiusdem conditionis vnius, sicut fructus ipsi. Nam quemadmodum de beneficii fructibus potest Beneficiarius dum viuus suo arbitratu statuere: ita tamen, vt quod sibi supererit, in pios vsus impendat: & nihilominus fructus post eius obitum remanentes, Ecclesiae, vel successori, communi iure debentur, pari quoque ratione bona quae emanant Clerici ex fructibus suorum beneficiorum, possunt beneficiarij, dum viuunt, & valent in quos voluerint, vt emitt: ac post obitum relicta, cum nihil de illis in vita statuerint, spectant iure communi ad Ecclesiam, vel successorum. Quare sequitur, vt sicut Fideus Pontificius loco Ecclesiae, vel successoris sibi sumit fructus beneficii Clerici vita functis relicto, ita quoque succedit in bonis per Beneficiarium ex redditibus beneficii emptis, & post obitum remanentibus: vtraque enim inter spolia computantur. Neque vero illa Pontificum aliarum Constitutiones negant in vniuersum bona empta per Beneficiarios ex fructibus beneficiorum inter spolia censeri: sed ea solummodo quae Beneficiarij viuentes, Ecclesiae tradiderint, siue donauerint, quia ante obitum ad Ecclesiam ius, & dominiu deuenerunt: quamuis Pius V. quaedam ex illis etiam Ecclesijs nondum donata, & tradita ab spolijs excluderet, vt quae, proxime sequenti diceretur.

Sexto quaeritur, Quae bona ex fructibus beneficiorum empta ab Beneficiarijs, minime in spolijs computentur: Respondeo, Pium V. edidisse Constitutionem anno 1567. in qua sic decernit: Cum itaque sicut accepimus, nonnulli Patriarcha, Episcopi, & Abbates, seu Commendatarij, & beneficia Ecclesiastica obtinentes, proprii honoris, & salutis immemores, etiam praetextu facultatum, istandi eis per sedem Apostolicam concessarum, in eorum vltimis voluntatibus res sacras, ac vasa, ornamenta, ac paramenta Ecclesiastica aliaque cultui Diuino dicata, quandoque ex fructibus Ecclesiasticis per eos acquisita, non Ecclesijs, & Monasterijs ac beneficijs quibus praeseruat, seu a quibus proueniunt Ecclesiasticos, & stipendia acceperunt, prout rationi, & honestati consentaneum foret: sed alijs locis etiam non pijs, ac interdum eorum consanguineis, & affinis reliquerunt, ac Camera Apostolica Collectores praetextu quod illa sub appellatione spoliorum veniunt, tanquam eiusdem Camera spolia exigere, & percipere non erubescunt, in maximum religionis detrahere, ac Ecclesiasticorum beneficiorum, & beneficiariorum eorumdem detrimentum, ac resinguentium animarum periculum, scandalumque plurimum: Nos abusiuis scandalisque huiusmodi prouidere, ac singularum Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum inuoluntati, animarumque quorumlibet salutem consulere volentes, Motu proprio, & certa scientia, ac de Apostolica plenitudine, hac nostra perpetua vultura Constitutione statuimus, & ordinamus, quod de caetero omnia, & singula ornamenta, & paramenta, ac vasa, necnon Missalia, & Gradualia, ac cantus firmi, & Musici, alique quomodolibet nuncupati libri, & alia res sacra, etiam auri, & argenti, ac quaecumque alia bona per quoscumque Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, seu Commendatarios, & alios quoscumque, quoscumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, secularia, & quorumvis Ordinum Regularia in titulum, vel Commendam, aut alias quomodolibet obtinentes, quocumque nomine, vel titulo censentur, etiamsi de illis

et eorum qualitatibus specialis, & expressa mentio habenda foret, ad usum, & cultum vniuersum, etiam in eorum priuatis adibus, & Cappellis, vel Oratorijs destinata, tempore eorum obitus ex testamento, vel ab intestato relicta, sub quibusvis facultatibus istandi, & alias disponendi de bonis per eos ex aliarum, vel alias quomodolibet acquisitis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores, & successores nostros, ac nos sub quibusvis tenoribus, & formis, & cum quibusvis clausulis, & discretis, etiam motu proprio, & alias quomodolibet concessis, & concedendis minime comprehendantur, nec sub appellatione spoliorum veniant, sed ad singulas Ecclesias, Monasteria, etiam Conuentus carentia, & beneficia huiusmodi, in quibus residuerint, aut quibus praeserint, seu qui obtinuerint, omnino spectent, & pertineant, ac spectare, & pertinere, illaque post eorum obitum eisdem Ecclesijs, Monasterijs, & beneficijs, etiam in Rom. Curia, & procul ab illis decesserint, vel ad illa nunquam accesserint, etiam antea Ecclesiarum, & Monasteriorum regimini cesserint, vel beneficia huiusmodi renuntiauerint, eo ipso applicata, & incorporata sint, & esse censentur. Ita vt liceat illis, & successoribus, in eisdem Ecclesijs, Monasterijs, & beneficijs successoribus, & Ecclesijs, & Monasteriorum eiusdem Capitulis, Conuentibus respectu illa propria auctoritate libere apprehendere, ac eorum Ecclesijs, & Sacristijs applicare, & incorporare. At quocumque donationes, & relicta, vel legata, testamenta, & codicillis, & alia vltima voluntates, seu spolia desuper contra praesentem Constitutionem nostram quomodolibet pro tempore facta, quo ad praesentem, nulla, & inualida, nulliusque roboris, & momenti existant, seu locis etiam pijs, aut Ecclesiasticis quibusvis, quos in quarum, seu quorum fauorem pro tempore facta fuerint, minime suffragentur, nec per ea eisdem personis, seu locis, vel alijs Ecclesijs huiusmodi aliquoduis in rebus praedictis, vel ad alias acquiri possit. Quinimo, res sacras, ac alia bona praedicta, quocumque nomine, vel titulo pro tempore detinent, & illis Ecclesijs, & Monasterijs ac beneficijs per desunctos quomodolibet acquisitis, vt praesertim, iuxta praesentem tenorem realiter, & cum effectu restituendum, & consignandum quibusvis dispositionibus de illis in contrarium quomodolibet factis, minime astringantur, omnino teneantur, & ad id per censuras, & poenas, etiam si furis, & sacrilegij, ac alias, iuris, & facti, remedijs oportuni, cogi, & compelli possint, & debeant. Et insuper ne deinceps contingat insolentia spoliorum Camera Apostolica Collectorum, vel Subcollectorum aliquas Ecclesias, vel hominum nequaquam damno, vel iniuria affici, nec cuiquam de caetero veritatur in dubium, qua res habenda sint nomine spolia, simili modo statuimus, & declaramus, quod quocumque sacra, cathedra, arca, & etiam lignea, vel lapidea, & etiam marmorea mensa, & tabula, ac quocumque dolia, vasa vinaria, & alia similia sepellectilia domestica per quosvis Presbyteros, seu Clericos ab humanis pro tempore accidentibus temporum obitus in Ecclesijs, seu eorum domibus Ecclesiarum eorumdem, vel alibi vbiuis locorum relicta, etiam ex fructibus, & prouentibus beneficiorum, qua dum viuunt, obtinebant, acquisita fuerunt, sub spoliorum appellatione minime veniant, nec pro spolijs villo modo reputari possint. Praeterea quod nullum spoliu Camera praesentis fieri, nec quicquam a quibusvis spoliu Camera huiusmodi Collectoribus, vel Subcollectoribus exigi possit per obitum illius, qui dum viuens, vnum, vel plura beneficia Ecclesiastica obtinuerat: etiam, vel quorum simul fructus, redditus, & prouentus triginta ducatorum auri de Camera secundum communem estimationem, valore annuum non exesse-runt, aut qui pensiones annuas super quibusvis fructibus Ecclesiasticis usque ad dictum valorem annum perciperent: dummodo tamen is se ab omni negotiatione illicita, & a sacris Canonibus prohibita abstinerit. Ita quod si quis dictorum Collectorum aliquid ex bonis quorumvis desunctorum, qui similia beneficia obtinuerint, seu fructus pensiones perciperent, praetextu spoliu eiusdem Camera percipere, aut contra praesentem nostras litteras attentare praesumpserit, ad totalem bonorum per eum percipitorum restitutionem teneatur, & ad id iuris, & etiam per similes censuras, & poenas cogi, & compelli possit, & debeat. Distributio

inhibentes



inhibentes quibuscumque Camera præfata spoliatorum Collectoribus. nunc & pro tempore existentibus. ne sub indignationis nostræ & privationis eorum officiorum poena in ornamentis & paramentiis ac vasibus & libris præfatis cultui dicatis, ac alijs reb. sacris, nec non suppellectilib. præfatis quomodolibet se intromittant: nec in eorum Inuentarijs tanquam spolia redigant seu describant: Sed ornamenta, & paramenta, nec non vasa, libros, aliq. Diuino cultui dicata huiusmodi Ecclesijs, Monasterijs, Cappellis, & alijs beneficijs huiusmodi, eorumq. Rectorib. & alijs præfatis libere dimittant & consignent, ac consignari faciant cum effectu ac suppellectilib. præfatis in locis ubi constituti, relinquunt. Hac tenore Constitutio.

Septimo quaritur circa prædictam Pij Quinti Constitutionem, An in spolijs censeantur prædictæ res sacræ, & Diuino cultui dicatæ, quas beneficiarius emerit ex sui patrimonij pecunijs, vel ex bonis arte, doctrina & industria sua comparatis: Ratio dubitandi est ex vna quidem parte quia videntur ad hæc edem beneficiarij ab intestato succedentem pertinere, propterea quod sint res emptæ ex proprijs beneficiarij bonis, in quib. hæres succedit: ex altera vero parte videntur ad ecclesiam, cuius emptor est beneficiarius, spectare: quia in ea Constitutione id videtur esse sancitum. Respondet Nauarrus de spolijs Cleric. §. 7. numer. 2. & 3. hæc bona iure quidem antiquo ad hæredem beneficiarij pertinere, ob rationem superius assignatam: sed iure nouo per prædictam Constitutionem spectare ad Ecclesiam, in qua est emptor Beneficiarius: Nam Pontifex generatim loquitur: Omnia, inquit, & singula ornamenta, paramenta, vasa, nec non Missalia, & Gradualia, & Cantus firmos, & musicos, aliosque quomodolibet nuncupatos libros, & alias res sacras etiam auri, & argenti, ac quæcunque alia bona per quoscunque Beneficiarios siue Regulares, siue Sacerdotes, siue titulares, siue commendatarios, siue simplices, siue curam habentes; siue Præsules, siue Archiepiscopales, ad vsum & cultum diuinum etiam in præfatis eorum ædibus, vel Capellis, vel Oratorijs destinata, tempore eorum obitus ex testamento, vel ab intestato relicta, sub quibusuis facultatibus testandi, & alias disponendi de bonis per eos ex altari, vel alias quomodolibet acquisitis per quoscunque Rom. Pontifices prædecessores eius, & successores: ac ipsam super quibusuis tenoribus & formis, & cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam motu proprio & alias quomodolibet concessis & concedendis, minime spoliatorum nomine venire, nec ad hæredes beneficiorum testamento, vel ab intestato transmitti: sed illi Ecclesijs, Monasterio, vel Capellæ deberi, in qua qui emerit, beneficium obtinuerat.

Ipsæ enim Pontifex huiusmodi Ecclesijs vel Monasterijs ea bona addicit. Quare obitu beneficiarij, in ipsarum Ecclesiarum vel Monasteriorum ius & dominium transeunt: & ideo Pontifex tribus verbis vritur, quorum duo illa statuimus & discernimus, ius nouum significant, ut Glossa annotauit c. Vi litigantes, de officio Ordin. in 6. & Clem. Per litteras, de Præben. Ius autem nouum est, vt hæc bona ex patrimonio, vel quasi patrimonio, per beneficium empta, ipsius Ecclesiæ, vel Monasterio debeantur. Tertium est verbum. Declaramus, quod significat ius antiquum, ut ait Glossa recepta ab omnibus in Clem. Litteras, de Recri. Antiquo vero iure res sacræ per beneficium ex beneficij fructibus, emptæ, ipsius Ecclesiæ & Monasterio debebantur.

Dices, hæc bona empta per Beneficiarium ex patrimonio, vel quasi patrimonio, in ipsius Beneficiarij bonis connumerari: quo ergo iure Pontifex ea Ecclesiæ, vel Monasterio addixit? Deinde Laici solent etiam similia bona sacra in suis ædibus habere, vt cum voluerint, tem diuinam priuationem faciendam curent: cum tamen ad suos hæredes testato vel ab intestato transmittant. Ait Nauarrus, Iure ciuili communi res sacræ in nullius priuati hominis esse dominio, capit. Nullius. c. §. Sacra. Instit. de rebus diuis. quum earum rerum vsus religiosus & sacer pe-

nes Laicos esse possit. Nihil igitur, inquit, mirum est, si Pontifex sacræ eiusmodi res per Beneficiarios emptas, & ad vsum & cultum diuinum destinatas Ecclesijs attribuerit. Nec est, ait ille, quod Laici Beneficiatorum hæredes conuerterentur, quod sibi sint ereptæ, quia cum fuerint a Beneficiarijs emptæ, & sacræ redditæ, & diuino cultui mancipatæ, optimo iure sunt Ecclesijs attributæ. Alii tamen censent, quæ diximus bona eadem Pontificia Constitutione non contineri, ac proinde nisi ea Beneficiarij suis Ecclesijs donauerint, ad hæredes transire, quoniam a Iure communi non recedimus, nisi quando expressim abrogatur. lege Præcipimus. C. de Appellat. Sed iure communi hæc bona ad hæredes pertinent. Nauarrus putat, talia bona eo ipso quod sunt sacris vsibus alicuius Ecclesiæ destinata, intelligi donata Ecclesiæ. Sed quoniam bona sacra includuntur dicta Constitutione, quæ vero ab illa excluduntur? Vt distincte, ac in promptu ea discernamus? Respondeo, hæc Constitutione comprehenduntur dicta bona sacra, empta, tametsi nulla sint consecratione affecta. Nam comprehenduntur paramenta, & Missalia, sacri cantus musici, & firmi, quæ sacrati non consueuerunt. Satis igitur est si sint ad diuinum cultum & vsum destinata, etiam si extra Ecclesijs in Oratorijs priuatis, vel Beneficiarij ædibus continentur. Comprehenduntur etiam, quæ Beneficiarij post obitum relinquunt, empta scilicet ex redditibus Beneficij, licet postea ipsum beneficium dimiserint: item, & illa, de quibus Beneficiarij testati fuerunt, etiam cum legitima testandi facultate. Tum & scamna, cathedræ, arcæ, & cetera, quæ in Constitutione ipsa exprimuntur ac nominantur, quæ ante Pium Quintum in spolijs computabantur, cum ex beneficij fructibus fuerant comparata.

Non tamen Constitutio comprehendit ea, quæ Beneficiarij possidebant, empta ad donandum alteri Ecclesiæ, vel ad permutanda cum alijs bonis eiusdem generis, vel alijs sibi necessarijs: non enim est a Iure antiquo recedendum, nisi quatenus nouæ leges illud abrogant, lege Præcipimus. C. De Appellationi. Sed hæc Constitutio solum excipit ab antiquo Iure, quæ sunt cultui diuino dicata. Non item eadem includit Constitutio aurea, vasa aurea, vel argentea, quæ habent Beneficiarij ad suarum ædium ornatum, quamuis ea consueuerint commodato dare Ecclesijs ad diuinos vsus. Nec etiam ea, quæ Beneficiarius dum vixit, post vel ante beneficium dimissum cum alijs commutauit, vel alijs donauit: nam hæc Constitutio non prohibet, quo minus beneficiarius, dum vixit, possit ea bona donare, & alienare. Ex eadem Constitutione etiam liquet, nullum Beneficiarium, vel Pensionarium, cuius beneficium, vel pensio maior fructum annum non affert, quam triginta ducatorum aureorum, iuxta æstimationem communem Cameræ Apostolicæ, inter spolia censerit, quia Pontifex iudicauit, totum huiusmodi beneficium vel pensionem esse necessarium ad honestam Beneficiarij sustentationem.

Octauo quaritur, An pensiones quas pensionarij post obitum relinquunt, in spolijs computentur, vt computantur fructus beneficiorum post Clerici obitum relicti: An vero transeant ad hæredes? Duæ sunt opiniones: Vna est negantium, quia pensiones ex testamento, vel ab intestato ad hæredem Clerici pertinent, pensio siquidem non est Ecclesiasticum beneficium, & solum datur ad subsidium vitæ tanquam alimentum: sed is cui legatum est alimentum, moriens transmittit ius exigendi alimenta percepta & soluta ad suos hæredes, lege. Vi §. vi. ff. si usufructus per. Item pensio conceditur etiam Laicis auctoritate Romani Pontificis. Ad hæc Pensionarius similis est usufructuario: extinguitur enim pensio more Pensionarij, sicut usufructus usufructuarij morte finitur. §. Finitur autem, Institution. de Usufructu. ac usufructuarius fructus iam ante acquisitos ad hæredes transmittit lege Defuncta. ff. de Usufructu: Ergo Pensionarius trans-

mittit

instituta etiam ad hæredes pensiones ante perceptas. nec  
 tere, inquit, *Gigas de Pensionibus, quæst. 25.* docet, pen-  
 siones non solent in vita Pensionarij perceptas, sed etiam  
 debent, & nondum solutas, de quibus inferius dicam, ad  
 hæredes siue ex testamento, siue ab intestato transire,  
 quam sententiam probat auctoritate Alexandri in *con-  
 sil. 40. ad finem volumine 3.* eamque sequitur *Couarruui-  
 as de Testam. c. Cum in off. ijs, numero. 6. ad calcem.* Caccia-  
 lupus eandem citat sententiam & approbat. *Gigas itaque  
 de pensionibus, quæst. 33.* vult, pensionem debet hæredibus Pen-  
 sionarij, si tempore quo moritur, sunt percepti fructus,  
 in quibus est pensio constituta; imò etiam quando sunt  
 per debitorem pensionis collecti, quamvis nondum dies  
 soluendæ pensionis aduenerit, de qua re postea. Item, Au-  
 ditores in *Rota, esse Redoano quæstione 3. §. 2. in hac matè-  
 ria, numero 12. de spolijs iudicantur pensiones præteritas,  
 & non solutas, inter spolia non comparari, sed ad hære-  
 des transire, scilicet Constitutionibus Pontificijs Pauli  
 III. & Iulij III. & vsu Cameræ Apostolicæ. Ergo & pen-  
 siones à Pensionario perceptæ, & post obitum relicte ad  
 hæredes transfunt iure communi. Altera est opinio asse-  
 rentium, pensiones in spolijs reponendas esse. Eam pro-  
 bat & amplectitur *Redoanus de spolijs Ecclesiasticis, quæsti-  
 one 3. numero 32. & quæstione 3. §. 2. in hac matèria numer. 12.*  
 Quam opinionem arbitror, inquit, esse veriorè, & vix pote-  
 cam iure nouo Constitutionum Pontificiarum, non cum  
 iure antiquo communi congruentem. Hæc opinio est  
 vera arte: constitutionibus Pauli III. & Iulij III. &  
 Pij V. & vsu Cameræ Apostolicæ. Nam licet pensio, be-  
 neficij nomine Ecclesiastici non veniat, & in vita subsidium  
 conferat. restat tamen portio quadam ex fructibus  
 beneficij detracta, ac proinde in bonis & fructibus ex  
 Ecclesiasticis prouenientibus censetur. Et quia beneficiorum  
 fructus post obitum Beneficiarij sine testamento decedentis  
 relicti ad spolia spectant: ideo voluerunt Pontifices,  
 ut pensiones inter spolia haberentur. ac testè *Redoano*,  
 Constitutiones Pauli III. & Iulij III. significant,  
 pensiones ad Cameram Apostolicam pertinere. Deinde  
 Pius Quintus, in *Constitutione super allegata* declarat  
 annuat pensionem, quando non excedit quantitatem  
 triginta nummorum aureorum, non esse in spolijs ha-  
 bendam: significat ergo, pensionem dictam summam ex-  
 cedentem, in spolijs esse ponendam. Dices, posse Pen-  
 sionarium de pensionibus perceptis suo arbitrio statuere,  
 & eas quibus maluerit in testamento relinquere: ergo  
 si intestatus decedat, eas ad hæredes transfuit? Re-  
 spondeo, id in iure communi locum habere, sed non in  
 iure nouo Pontificio. Deinde quemadmodum Beneficiarius  
 potest, dum vivit, fructus beneficij in quos voluerit,  
 ipsos vsus insumere & nihilominus si nihil de illis sta-  
 tuerit, eos post obitum relictos, ad hæredes non transfuit,  
 ac ideo tanquam spolia sibi debita Fiscus Apostolicus  
 capitata & Pensionarius potest, vt vult, de pensionibus  
 statuere: Sed pensiones post eius obitum relicte, tanquam  
 spolia ad Cameram Apostolicam spectant. Nec idem est  
 iuris de pensione, omni ex parte, quod de vsu fructu, vel a-  
 limento legato: Nam pensio ex bonis Ecclesiæ, & fructibus  
 beneficij percipitur: sed vsu fructus, vel alimentum ex pa-  
 trimonij bonis conceditur, siue legatur, ac propterea  
 Pontifices ad spolia pensiones pertinere voluerunt. Cæ-  
 terum Constitutiones Pontificiæ Pauli III. Iulij III. & Pij  
 V. volunt, vt pensiones inter spolia habeantur, nec tran-  
 seant ad hæredes, nisi vbi contrarium consuetudine præ-  
 scripta receperit.*

Nono quaeritur, An distributiones quotidianæ, quas  
 solent Canonici percipere, pertineant ad hæredes, An po-  
 tius tanquam spolia, ad Fiscum Pontificis, cum Canonici  
 intestati decedunt? Conuenit inter omnes harum distri-  
 butionum Canonicos dominium acquirere, & de eis pos-  
 se statuere quicquid voluerit etiam per testamentum  
 quando non dantur ratione tituli, aut loco beneficij: sed  
 ratione præsentis & ministerij in officijs diuinis, vt colli-

gitur ex *c. 1. de Clerico non resid. in 6. Sic Gemianus ibidem &  
 Boerius conf. 280. Parisius conf. 33. n. 8. libr. 4. decis. 340. ad fin.*  
*Cenar. lib. 3. variarum resolut. c. 13. Iulius Clarus lib. 3. recepta.*  
*sentent. §. Testamentum, n. 5. Redoanus de spolijs q. 3. §. Stanti-*  
*bis hic, num. 18. §. q. n. 17. & 18.* Operarius enim suam facit  
 mercedem labori debitam. Hinc colligunt communi-  
 ter prædicti auctores distributiones huiusmodi in spo-  
 liis non haberi, & ad hæredes pertinere. Sed aliofium est  
 opinio, hæc distributiones Canonici sine testamento  
 decedentibus, tanquam spolia Fiscu Pontifici deberi. Nam  
 vt ait *Glossa in c. Presenti, de officio Ordin. & Hostiensis in c. vlt.*  
*de Pseud. Cler.* in fructibus ex beneficio simplici acquisi-  
 tis, si Beneficiarius intestatus excesserit, Ecclesia succedit  
 iure communi: Sed quotidianæ distributiones sunt fru-  
 ctus ex beneficijs percepti, ergo in eis iure communi suc-  
 cedit Ecclesia, si Beneficiarius absque testamento dece-  
 serit, & in locum Ecclesiæ Fiscus Pontificis est subrogatus,  
 ergo ipse succedit.

Primam opinionem existimo probabiliorem, & magis  
 cum sententia & iure communi conuenientem. Nam Be-  
 neficiarius harum distributionum dominium acquirat,  
 quoniam tanquam sui laboris & operæ mercedem debi-  
 tam percipit: & ideo potest tuta conscientia in quos ma-  
 luerit vsus impendere: & vel in vita donare quibus voluerit,  
 & in morte legere testamento condito, quod si inte-  
 status decederit, ad hæredes transfuit. Hæc enim tradit  
 prima, quæ est communis opinio. Sed nihilominus cum  
 Ecclesiæ bona censentur, & sint vere, ideo nihil de ip-  
 sis Beneficiario siue Clerico statuente, tanquam spolia  
 possunt si vel ut, Pontifices, sibi iure optimo referuare.

Decimo quaeritur, An quæ Beneficiarij lucrificiant,  
 munera & officia aliqua obeuntes, vel obsequia præstan-  
 tes, in spolijs numerentur, an vero potius ad hæredes ab  
 intestato pertineant? Respondet *Redoanus de spolijs, Eccles. q.*  
*8. n. 55.* cui & assentior ipse, ad hæredes spectare: non enim  
 sunt fructus ex beneficio acquisiti, cuius sententiam idem  
 auctor dicit fuisse Abbatem, Petrum Ancharanum, Ioan-  
 nem Imolesem, Antonium Butrium, & alios. At si quaeras  
 quæ bona inter ista recensentur? In primis quæcunq; Cle-  
 ricus acquirat, quia sacrificia offert, vel preces fundit, vel  
 aliter certe in Ecclesia inseruit. Idem quæcunq; lucratur  
 ratione alicuius legationis, aut muneris quo fungitur, aut  
 alicuius alterius administrationis tum Clericis, tum La-  
 icis communis, imò etiam ratione muneris, quod obeat,  
 ad Clericos tantummodo spectantis, cuiusmodi sunt in  
 Curia Romana Vicecancellarius, Camerarius, Maximus  
 Penitentarius, qualia etiam sunt in eadem curia qui vo-  
 cantur Protonotarij, Scripatores, & alij generis eiusdem.  
 Tales item sunt Vicarij & Officiales in spiritibus. Epi-  
 scoporum: nam quicquid ratione muneris & officij ac-  
 quiratur, est stipendium, & merces laboris, non beneficij  
 Ecclesiastici fructus. Si roges, talia ne etiam censentur  
 bona à Clericis acquisita, eo quod Cappellani sint Regis,  
 Principis, vel alterius magni & Primarij viti? Vtiq; cen-  
 sentur, & in his locum habent, vt de cæteris supradictis  
 diximus, quando cunq; tales Cappellanæ non sunt be-  
 neficia. Idem quoque iuris est de iis bonis, quæ quis Paro-  
 cho relinquit, vt pro mortuis sacrificia offerenda, & pre-  
 ces fundendas curet, eodem teste *Redoano*.

Vndecimo quaeritur, An pro spolijs habenda sint, quæ  
 Clericus ex patrimonio, vel arte, vel industria compara-  
 ta relinquit, sine hæredibus extantibus, hoc est, nullo  
 hærede, vel ex ascendentibus, vel ex descendentibus, vel  
 alio quouis extante? Respondet, certi iuris esse, in his  
 bonis Clericorum hæredes succedere, vt colligitur ex *c. Sim-*  
*manifesta, 12. q. 1. c. 1. de Successionib. ab intestato.* Si nulli pro-  
 fus hæredes extiterint intra decimum gradum. Iure com-  
 muni succedit Ecclesia, vt colligitur ex *c. vlt. 12. quæst. 5.* Vbi  
 sunt hæc verba: *Quicunq; ex gradu Ecclesiastico sine testa-*  
*mento, & sine cognatione decefferit; hæreditas eius ad Ecclesi-*  
*am, vbi deseruiuit, deuoluatur.* Et in *Authen. de Ecclesia & Col-*  
*latio. 9. §. Interdicimus; vers. si quis autem Episcopus, Impera-*

tor ait: *Si quis autem Episcopus aut Clericus, aut cuiuslibet ecclesiasticæ gradus minister, aut Ecclesiæ Diaconus moriantur sine testamentis & legitimis successoribus, horum successio Ecclesiæ competat, in qua constituti fuerint.* Idem colligitur ex *ca. Presbyteri, de Paris, &c. l. C. Cum dilectus, de successio, ab intestato, ut ibi Glo. annotavit.* Sed quid si Clericus nulli erat Ecclesiæ adscriptus? Bona eius ad Episcopum devenient, de quibus statuat coram Deo, quod pium esse crediderit. *Abbas. c. 1. de successio, ab intestato.* Et quia in loco Ecclesiæ Fiscus Pontificis est substitutus: sequitur ut in his bonis tanquam spolijs succedat, aut succedere meti o possit.

Daodecimo quaeritur, An quando dicitur, cum bona, quæ Prælati, vel alius beneficiarius, cum moritur sine testamento relinquit, sint quaerita ex patrimonio, arte, doctrina, industria, munere aliquo, & officio, An vero ex bonis Ecclesiæ, pro spolijs habeantur? Scribit Covar. *de testam. c. 1. n. 6.* quem & sequor, quodcumque res est dubia, omnia bona iudicari tanquam acquisita ex bonis ecclesiæ, & proinde in illis omnibus bonis quando dubia res est, succedat, nam tunc merito credimus ea bona esse ex bonis Ecclesiæ acquisita, ac propterea ad Beneficiarij heredem pertinere oppositum probare. Immo omnia bona quæ Beneficiarius post obitum relinquit, fuisse acquisita ex bonis Ecclesiæ creduntur, nisi heredes Beneficiarij probaverint fuisse ex patrimonio, vel aliunde comparata.

Decimotertio quaeritur, An fructus Beneficij Beneficiario debiti, sed ante obitum non percepti, ad heredes, An vero ad spolia pertineant? Explico rem quaesitam: Petrus Beneficiarius moritur post mensem Septembrem, vel Octobrem, cum fructus beneficij maturati iam erant: imo etiam à solo separati, & nondum Petro redditi & soluti, sed solum debiti, quia eos, præventus morte, exigere & percipere nequirit: iam quaeritur, An hi fructus, de quibus nihil Petrus ante obitum constituit, eius heredi, An potius Cameræ Pontificis tanquam spolia debeantur? Hanc quaestionem tractavit Redoanus *de spolijs Ecclesiæ qu. 5.* & meo iudicio recte soluit, huiusmodi fructus inter spolia computandos. Nam, ut *Hofstiensis, Calderinus, Ioan. Andr. & alij quos cit. ille, docuerunt*, hi fructus iure communi ecclesiæ debebantur, cum non penderent ex solo, sed vel erant collecti, vel saltem separati à solo, non pendentes: sed Fiscus Pontificus loco Ecclesiæ succedit, ergo ad eum, non ad heredes pertinet. Præterea extant de hac re duæ Constitutiones Iulij III. in quarum vna, declarat Pont. fructus beneficiorum per ipsos Beneficiarios tempore quo obeunt, nondum exactos siue perceptos, deberi videlicet, iure communi, successoribus, in beneficijs, & non heredibus, ipsorum beneficiorum: & declarat insuper numeros aureos quingentos, & reliqua per mortem S. R. E. Cardinalium Cameræ, & Capellæ Apostolicæ debita, eidem esse solvenda, nec de eisdem prædictos Cardinales testari potuisse.

In altera constitutione declarat Pontifex, prædictam constitutionem de fructibus beneficiorum non exactis, nec perceptis, successoribus in beneficio solvendis, vim & locum habere in locis, ubi Collectores Cameræ Apostolicæ esse non consueverunt. Priori igitur illa Constitutione exclusit Pontifex Beneficiarium heredem ab huiusmodi fructibus beneficiorum, & voluit eos fructus ad successores in ipsis beneficijs vel Ecclesijs pertinere, in posteriori vero excludit etiam ab eorum fructuum perceptione successores. Nam eius mens Pontificis fuisse videtur, ut in his locis prædicti fructus ad Cameram Apostolicam pertinerent, ea tamen conditione, si nulla in ijs locis consuetudo contraria, privilegium, vel speciale ius obstiterit.

Decimoquarto quaeritur, An fructus Ecclesiæ Cathedralium à dievacationis earum usque ad legitimam eorum vacantem successorem provenientes, in spolijs comprehendantur? Respondendo, iure communi ad Ecclesijs ipsorum beneficiorum, vel ad successorem in ipsis pertinuisse. *ca. Quia scpe, de elect. in 6. & capit. præsent. de officio Ordin. in 6.* Sed quia in loco Ecclesiæ, vel successorem successus est Fiscus Pontificis, sequitur, ut eiusmodi fructus Cameræ Apostolicæ debeantur. Nam Pius IV. anno 1560. die 30. Iulii anno primo sui Pontificatus mandatum dedit Thesaurario Generali, in quo ei potestatem & auctoritatem concedit, colligendi bona quacunq; mobilia & immobilia, & se momentis spolia nuncupata, & ea quæ ex fructibus provenientibus & redditibus Ecclesiasticis emptis, re adificata, restructa & restaurata fuerint, seu alijs ex eisdem fructibus redditibus, & provenientibus, quomodolibet provenientibus per obitum quicunq; personarum Ecclesiasticarum, secularium, beneficiorum, non simplicium, sed administrationem habentium, obtinentium: & quod beneficia simplicia, nisi ex privilegio Apostolico eis concessio, seu ex consuetudine legitime præscripta in locis vigent, & statari volentium, & quorumvis Ordinum Regularium quorumvis etiam Pontifici auctoritate fulgentium in universa Italia extra Almem pro tempore degentium, remansura & relicta cuiuscunque qualitatis & speciei fuerint, etiam gemmas, & alia pretiosa, & pecuniarum summas, necnon & fructus, redditus, & provenientias mensurarum Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum & Monasteriorum in tota Italia consistentium, à die vacationis prædictarum Ecclesiarum & Monasteriorum, usque ad diem profectionis, & provisionis, seu Commendæ de illis faciendæ, Quos omnes fructus, redditus, & provenientias ad Cameram Apostolicam spectare & pertinere vult, & decernit ei esse applicatas, & appropriatas: Et Thesaurario scire potestatem exigendi, percipiendi, & recuperandi. Sic Pontifex in ea Constitutione. Vbi est annuendum cum Navarro *de spolijs Cler. §. 6. n. 6. illud. in tota Italia*, non significare spolia in tota Italia, Pontifici Fisco deberi: nam Paulus III. edita Constitutione manifeste decreverat, & declaraverat, Papæ spolia referant, non solum in Italia, sed vbiq; locorum & gentium.

Quia vero Pius Quartus, in prædicto mandato loquitur cum Generali Thesaurario à se in Italia constituto, ideo dicit, *in universa Italia*, Idem Pontifex id alio Mandato quod dedit anno 1560. die 7. Decembris anno primo sui Pontificatus, sic ait: *Motu proprio, & ex certa scientia omnino & singulos fructus, redditus, & provenientias, iura, obtinentias, & emolumenta quacunq; quomodolibet, & qualitercumque nuncupata, omnium & singulorum beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura, secularium & quorumvis Ordinum Regularium, & Monasteriorum, & Conventualium, Sedis Apostolicæ tam per Constitutiones Apostolicas, quam Cancellaria Apostolicæ Regulas editas, & ordinatas, seu alijs quomodolibet ex quavis causa, generaliter vel specialiter reservatorum, seu affectorum in Regno Neapolis, & quibusvis Provinciis Civitatibus, Terris, Oppidijs, & Locis consistentium, per obitum & alias, quovis modo præterquam per cessum illa obtinentium, pro tempore vacantium à die ipsorum beneficiorum & Monasteriorum vacationis, pro rata temporis, usque ad diem, quo provisi per nos de eisdem Beneficijs & Monasterijs, vigore litterarum nostrarum sub plumbo, illorum possessionem de manu dilecti filij Magistrj Pauli Odescalchi Notarii, & in dicto Regno Nuntij, & Collectoris nostri, vel per alias nostras litteras ad Commissarium, quem ad capiendam possessionem Beneficiorum & Monasteriorum huiusmodi deputavimus, habuerint, & acceperint: & aliter apprehensa possessio nullius sit roboris, vel momenti: ac provisi ipsis nullum ius per eam acquiri, neque eis violentus suffragari possit Camera Apostolica, auctoritate Apostolica tenore præsentium applicamus, incorporamus, & appropriamus, & ad prædictam Cameram spectare statuimus, & ordinamus, vbi est annotadū, & hoc Mandatū in hoc à superiore Mādato differre: quod illud solū statuit, fructus, & emolumenta vacantium Patriarchalium, Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum, & Monasteriorum vbiq; consistentium,*

Pontificis Fisco debent: hoc autem mandatum, declarat, fructus omnium beneficiorum quomodocumque; Sedi Apostolicæ referuaturum afferturum aliter quam per resignationem vacantium in toto regno Neapolitano, ad Fiscum Pontificis pertinere. Aliorum igitur beneficiorum vacantium non referuaturum fructus in regno Neapolitano Papæ minime debentur.

Extat & Gregorii XIII. Constitutio, hoc initio: *Cum sicut accepimus*: in qua omnes fructus Ecclesiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, & Monasteriorum vacantium, à die vacationis, vsque ad diem eorum concessionis, Cameræ Apostolicæ referuat: & illa bona, quæ ex fructibus Ecclesiasticis profecta, resecta & restaurata fuerant. Extat alia etiam Constitutio Pii IV. cuius exordium est: *In supremo*: in qua decernit, tanquam spolia, habenda bona non residentium in suis Ecclesiis, non obstante testandi facultate Rom. Pontificis beneficio concessa.

Decimoquinto quaeritur, An spoliatorum nomine veniant quæcumque bona religiosorum extra monasteria siue suorum superiorum concessa, siue sine illo degentium, & decedentium? Respondeo, Paulum Quartum, Constitutionem edidisse incipientem: *Postquam diuina*: in qua decernit, bona religiosorum, qui egrediuntur, vel eiciuntur, vel ad alium ordinem transeunt, vel etiam suorum superiorum consensu extra Cœnobium & Claustra commorantur, vnde cumque, vel quomodocumque fuerint acquisita, siue ex testamento, siue ex beneficiis, siue industria, arte, mercatura, negotiatione, siue aliorum donatione, ipsis monasteriis debent, in quibus illi primo professionem emisserant. Extat alia tamen Constitutio Gregorii XIII. quæ incipit: *Officii nostri*, vbi definit, dicta bona religiosorum ad Cameram Apostolicam tanquam spolia pertinere.

Sciendum est, iure quidem communi hæc bona religiosorum ad Monasteria, siue Cœnobium, in quibus primo fuerant religionem professi, spectare: quod ius commune seruati voluit Paulus IV. statuens: vt egressi, eiectiones, & ad alium ordinem præter Canones & iura translati Monachi, & religiosi facilius in sua monasteria reciperentur: Sed quia ea Constitutio vsu recepta non fuit: ideo Gregorius XIII. constituit, vt id seruaretur, quod longe ante Pauli IV. tempora seruari cœperat, videlicet, vt hæc religiosorum bona pro spoliis haberentur, & ad Fiscum Pontificis pertinerent.

Decimo sexto quaeritur, An pensiones debite pensionario, sed non solute, pertineant ad hæredes pensionarii, An vero potius inter spolia habeantur? Superius, *quest. 8.* dixi, opinionem esse communem, pensiones perceptas, & post obitum pensionarii relictas, ad eius hæredes pertinere, si loquamur seclusis constitutionibus Pauli III. Iulij III. & Pij V. Et vsu ac more curiæ Romanæ, idem iuris est de pensionibus debitis pensionario & non solutis: quare inter spolia censetur vsu curiæ Romanæ.

#### C A P. IV.

*An consuetudine fieri queat, vt spolia Fisco Apostolico minime debeantur.*

Primo quaeritur, in quibusnam prouinciis & locis spolia Clericorum Cameræ Apostolicæ tanquam debita soluantur? Responder Nauarrus, & recte, *de spoliis Clericorum. §. 14.* in tota Germania, Gallia, Lusitania vsu esse receptum, vt nulla beneficiariorum etiam Episcoporum bona tanquam spolia, ad Cameram Apostolicam pertineant. In regno vero Castellæ in Hispania, sola Episcoporum spolia, Papæ soluantur; aliorum vero beneficiariorum non item. In Italia vero, tum Episcoporum, tum aliorum quorumlibet beneficiariorum spolia Cameræ Apostolicæ debentur.

Secundo quaeritur, Quam iustam excusationem ha-

beat prædictæ prouinciæ, in quibus aut nulla beneficiariorum spolia, aut sola Episcoporum, Romano Pontifici debentur? Respondeo, Regum vel Principum solam auctoritatem per se dare iustam excusationem non posse, quoniam penes eos potestas non est aliquid de bonis Ecclesiarum statuendi: Sed spolia ex bonis Ecclesiarum soluantur, ergo de ipsis nihil possunt laici cõstituerere. Quamuis quidam dicant, in prouinciis præfatis spolia Cameræ Apostolicæ denegari, quia fortasse Principes earum iudicarunt populis sibi subiectis nocere non paruum, si tot pecuniæ ex beneficiis, & Ecclesiis in ipsorum regno consistentibus in Italiam exportarentur: & iudicauerunt pariter id expedire, ne a Collectoribus Pontificis subditi populi litibus, aliisque rationibus, & frequenti spoliatorum collectione vexarentur: Neque tam vigentem, & grauem esse Cameræ Apostolicæ necessitatem, vt id permittere deberent. Sed difficile est dicere Reges & Principes potuisse statuere, ne spolia Clericorum Romano Pontifici darentur, non enim id est, laicorum. Et quamuis beneficia in eorum ditione, Imperio, & Prouinciis constituta sint, nihilominus sunt Ecclesiarum bona, ac proinde liberæ Romani Fisci administrationi subiecta, & in communem Romanæ Ecclesiæ utilitatem & necessitatem impendi iure & possunt, & debent. Ius quidem habent Reges & Principes imperandi, ne pecuniæ ex eorum prouinciis extrahantur: Sed quis dicat ea lege Romanum Pontificem teneri, aut beneficiorum fructus, aut Ecclesiarum bona, hæc laicorum legibus subiecta? Quod si Pontificii Collectores in exigendis, & colligendis spoliis Ecclesiasticis fortan plus a quo vexant, eorum est culpa, non Romanorum Pontificum. Et abusus si qui irrepsit, præcedendi sunt seruatori iuris ordine, nõ Canones & iura damnanda, improbanda. Nec nostrum est iudicare, egeat nec ne Camera Apostolica: nam huiusmodi bona, quæ ad spolia pertinent, iure communi & antiquo Ecclesiis, & successoribus referuabantur: at in eorum locum iure optimo Fiscus Pontificus suppositus est: nec enim minus indiget, quam olim Ecclesia & successores. Et certe melioris est conditionis, quam illi: nam Pontifex circa omnem bonorum Ecclesiasticorum plenam administrationem, & salutem omnium Ecclesiarum curam habet. Quare si in Gallia, Germania, Polonia, Lusitania nulla Clericorum spolia, & in Castellæ Regno tantum Episcoporum spolia Pontifici soluantur: id non est quia Reges & Principes ita decreuerunt, sed quia cum Romanis Pontificibus ita contenerunt. Vt enim Paulus quamuis merito posset sibi victum debitum exigere ob laborem prædicationis, iure tamen suo sponte cessit: sic Romani Pontifices suo iure cedere voluerunt.

Tertio quaeritur, An contra spolia Apostolica vlla possit præscriptio valere? Respondeo, in spoliis Pontifici Romano non soluendis, potest consuetudo legitime præscripta locum habere: nam pari ratione decima fructuum pars consuetudine multis in locis non soluitur. In exigenda item & percipienda decima potest vna Ecclesia contra alteram ius acquirere, ergo etiam Ecclesiæ contra Cameram Apostolicam ius obtinere, vt Episcoporum, & aliorum beneficiariorum spolia successoribus, non Fisco Pontificio debeantur. Item, bona ex beneficiis relicta, olim iure communi Ecclesiis, vel successoribus referuabantur: in quorum locum Pontificæ Constitutiones Cameram Apostolicam subrogarunt: ergo fieri potest, vt alicubi ius antiquum commune retentum seruetur, Constitutionibus Pontificis nequaquam vsu receptis, aut consuetudine abrogatis.

Quarto quaeritur, An consuetudine fieri queat, vt bona ex beneficiis fructibus relicta, ad hæredes Clericorum testamento vel ab intestato transferantur? Hæc quaestio pendet ex illa: An consuetudine possint Clerici de fructibus beneficiorum testari? de qua quaestione superiori libro satis superque locuti sumus. In præfatis locis sufficit dicere, in Gallia & Hispania communi vsu esse rece-

prum, ut beneficiarii testentur: nec est cur ea consuetudo damnetur, cum sit ab antiquo tempore, cuius initii memoria non extat, vsu recepta: & Constitutiones ipsæ Pontificiæ spolia Clericorum cameræ Apostolicæ reseruantur, vsu contrarium ibi vigentem nõ damnant, imo potius seruandum esse decernunt. Eadem ratione, vbicumque consuetudine talia bona beneficiariorum, ab intestato decedentium ad hæredes transeunt, minime cameræ Apostolicæ debentur: noluerunt enim Romani Pontifices hisce consuetudinibus locorum derogare. quare locum habent, cum derogata non sint. Nauarrus probat quidem consuetudinem testandi beneficiariis: sed negat posse eos testari in quoslibet vsus, præterquam pios: negari non potest, vsu esse alicubi receptum, vt in quosuis vsus beneficiarii testentur: imo à Romano Pontifice solet Cardinalibus & Episcopis ampla concedi facultas, vt in quos voluerint vsus, de redditibus Ecclesiasticis testentur.

Ve hæc omnia breuiter intelligantur, animaduertendum est, in cap. Relatum 2. de testam. consuetudinem approbari, qua permittitur beneficiariis testari de bonis ex beneficiis acquisitis in vsus pios, vel ad eos remunerandos, qui ipsis viuentibus inseruiuerunt: Vnde, vt ait Couarruuius e. Cum in officio, de testamen. num. 9. constans omnium opinio consuetudinem non improbat, quæ permittit Clericis de his bonis testari arbitrato suo in quoslibet vsus. Ita Panormitanus, Cardinalis, Aluarius, Pelagius, Archidiaconus, Ioannes maior, Sylvester, Angelus, & alii, quos citat ibi Couarruuius. Glossa vero in cap. Prasenti, de offic. ordin. in 6. Hostiensis secuta, sentit, beneficium sui beneficii vel Ecclesiæ administrationem habentem, dum viuunt & valet, esse vsufructuarium, ac proinde de his bonis donare posse cui voluerit, dummodo id moderate faciat: dum vero ægrotat, aut est morti vicinus, esse tantum vsuatum, & ideo nihil iuris habere in iis bonis, nisi vsu: ac ideo de iis testari iurè non posse. Beneficium autem administrationem non habentem, hoc est, possidentem beneficium ex communi Collegii mensa, qualis Canonicus est, & ceteri similes, siue dum viuunt, & valet, siue dum incipit ægrotare, etiam grauius & periculose, vsufructuarium esse, & ideo posse testari. Si tamen intestatus decedat, succedere illi Ecclesiæ, hoc est, Clericorum Collegium Sed profecto, vt loco supra dicto testatur Couarruuius, in Hispania generalis consuetudo obinuit, vt de his bonis beneficiarii arbitrato suo testentur, & in ipsis hæredes succedant, si intestati moriantur. Eandem consuetudinem in Gallia vigere, tradit Cosmas in Pragm. Sancto. tit. de Annatis. §. Item quod, verbo, acquisitos: quam consuetudinem valere docent Faber. Instit. de rerum diuis. §. his vero. Guido Papæ decis. 115. & alii, quos refert Philippus, cap. Prasenti, de offic. ordin. in 6. & hanc consuetudinem in Hispania legibus regis approbarunt Carolus V. & Philippus II. eius filius: ille anno salutis humanæ 1527, hic an. 1566. vt refert ibidem Couarruuius. Redoanus de spol. Ecclæ. quasi 4. num. 16. ait, huiusmodi morem non valere, nec satis esse, si pragmaticis in Hispania sanctionibus confirmetur: quoniam laici nihil de his bonis constituere possunt. Verum tamen cum hæc consuetudo non sit iuri naturali, vel diuino, sed tantum Canonico contraria, & sit vsu longo recepta, non est cur damnari debeat: Et pragmaticæ sanctiones in Hispania nihil aliud cõstituunt, nisi vt huiusmodi cõsuetudo ab antiquo tempore introducta & præscripta seruetur, siquidem Rom. Pontifices eam non damnant, sed permittunt.

Ex his intelligitur, ea consuetudine in Hispania vigente, bona beneficiarii intestato morientis, hæredibus debent, non sisco Pontificio: quoniam sicut consuetudo alicubi recepta introduxit, vt fructus primo anno, imo etiam secundo colligendi ad Canonicum demortuum pertineant, Extravañg. Suscepti, de elect. Ioannis 22. Sic etiam vsu introduci potuit, vt hæc bona que beneficiarius reliquit intestatus decedens, ad hæredes transmittantur: Sicut enim consuetudo præscripta successoris iuri potuit derogare, sic etiam iuri Ecclesiæ, & sisci Pontifici. Nec verum

est, quod Nauarrus tradit de spol. §. 14. num. 4. & §. 15. num. 3. & 4. non posse consuetudine induci, vt in spoliis Clericorum succedant alii, præterquam Papa, nisi iure & titulo paupertatis & pietatis: hoc enim ille ideo dixit, quia fuit semper in ea opinione: videlicet, quod superest ex beneficiorum fructibus, lege iustitiæ esse in pios vsus erogandum: de qua sententia suo loco tractauimus libro præcedenti. Sicut enim consuetudine recepta de his bonis beneficiarii in quos voluerint vsus, testari queunt; ita quoque si intestati decedant, ad suos hæredes simpliciter de more transmittunt.

Quinto quaeritur, An iure probari queat consuetudo, quæ in quibusdam prouinciis viget, qua Episcopus rem vana mobilem siue le mouentem, ex iis bonis, quæ beneficiarius vita sanctus relinquit, sibi sumit, & vendicat, quæ vulgus luctuosam appellat? Respondet Nauarrus (acque ego etiam) de spol. Cleric. §. 16. eam consuetudinem non esse damnandam, quippe quæ solum iuri Canonico derogat, non diuino, aut naturali, & potest consuetudo beneficiarii bona alteri quam Ecclesiæ, aut successori ad dicere. Sed quaerit Nauarrus, An post Constitutionem editam à Pio V. de spol. Clericorum, possit Episcopus eam consuetudinem seruare, cum beneficiarius demortuus beneficium habebat, cuius redditus annui 30. ducatorum quantitatem non excedebat. Et respondet, non posse, quia Pontifex præcipit ne bona ab huiusmodi beneficiario relicta inter spolia habeantur. Mihi certe res dubia videtur: nam Constitutione Pij V. solum statuitur, ne Collectores Pontificii ea bona tanquam spolia sisco Apostolico debita capiant. Alias vero non videtur illud consuetudine acquisitum, derogatum, siquidem illud Constitutio nõ tollit. Addit etiam Nauarrus, non licere Episcopo ea reuerti, nisi in vsus pios. Sed probabilius puto, posse eum rem illam in quos voluerit vsus impendere. Vbi tamen recepta fuerit eiusmodi consuetudo, poterit Episcopus rem quam maluerit, eligere; dummodo non fuerit Ecclesiæ ante donata vel promissa, nec fuerit res immobilis, cuiusmodi redditus sine censu annuus iudicetur: & dummodo vna tantum res sit, qualis non est pecunia in erumena contenta, vel res in arca inclusa, siue vinum in dolio seruatum, si continens & res contenta simul capiantur: nec tale est argumentum bouum, aut grex porcorum.

Multa fraudes committuntur ab hæredibus beneficiariorum, aut pensionariorum, vt spolia Cameræ Apostolicæ debita sibi retineant: In primis fingunt se empti ex fructibus beneficii, vel pensionis, donatione acceptisse in vita à beneficiario, vel pensionario, cum tamen non acceperint nisi in morte, vel ægitudine, aut saltem cum beneficiarius, vel pensionarius postquam dederat, non vixerit viginti diebus, vt donatio valeret. Item fingunt beneficiarii vel pensionarii se donasse, & tamen apud se retinere, vt commodata à donatario, cum tamen nulla donatio vera existerit. Aliquando contingit, vt plures à beneficiario vel pensionario donata acceperint, quæ vt spolia Cameræ Apostolicæ debebantur, & vnus eorum cum Camera Pontificia conuenit, & ab ea absolutionem & debiti remissionem impetrat: Ceteri nisi cum Camera conueniant, restituere debent, quod acceperunt, alter ab excommunicatione absolui nequeunt.

### C A P. V.

De pensionibus Ecclesiasticis, quid nomine pensionis intelligatur: & quid ea proprie sit.

DE pensionibus libellum edidit Ioannes Baptista Cacialupus; & alterum Paulus Romanus: quem imitatus Hieronymus Gigas, ea de re tractatum conscripsit in centum quaestiones distributum. Multa quoque Petrus Andreas Gambarus habet in opere suo de officio, & potestate legati, libro 6. tit. de pensionibus, & Flamin. Patius de resignationibus benefic. lib. 5. q. 23. & 4.

Primo queritur, Quid sit pensio? Est certa portio ex alieno beneficio Ecclesiastico iusta de causa ad tempus detracta & separata. Sic Cardinalis, Ancharanus & Imol. Clem. 1. de suppl. neglig. pralato. Dicitur, (certa portio) quia est pars quedam de beneficii redditibus detracta, & res per se à beneficii iure & titulo separata, sicut ususfructus à proprietate seu iunctus per se distinguitur, (Iusta de causa) quia cum iure communi cautum sit, ut beneficia sine diminutione conferantur, sine causa fructus beneficii minui non possunt. Pensio item, est veluti seruitus quedam imposta beneficio, & onus quoddam, quod beneficiarius sustinere cogitur: ideo sine causa constitui non potest. (Ad tempus) quia pensio in hoc à beneficio distinguitur, quod beneficium est perpetuum, non enim beneficiarii morte finitur, sed vacat, hoc est, possessore vacuum relinquatur, & propterea impetratur, & alteri confertur: at pensio obitu pensionarii definit, sicut ususfructus morte usufructuarii, §. Finitur, Infit. de Usufructu: & cum pensio finiat, ac definit, nunquam dicitur vacare: nec tanquam possessore vacans, impetratur, vel conceditur: sed noua imponitur beneficio, & denuo in aliquem confertur.

Prædictam definitionem pensionis Nauarrus improbat, tom. 1. consil. de preben. consil. 5. n. 6. eo quod ea conuenit multis aliis, videlicet stipendiis, quæ soluuntur ex communibus Ecclesiæ bonis, aut ex fructibus beneficiorum laicis aliquo munere & officio in Ecclesia fungentibus, ut Cantoribus, Aduocato, Procuratori, Oeconomio, Medico, Chirurgo, & aliis huiusmodi. Deinde, quia ex ea definitione colligitur, pensionem, rem esse profanam, non spiritualement. Postremo, quia pensio est ius rem spiritualement consequens: nam soli datur Clerico. Sed non est, cur definitionem communi consensu receptam reprobemus, alioqui enim communiores opiniones subinde suo loco mouerentur. Satis est, eas mitius interpretari in bonum sensum acceptas. Definitione igitur prædicta pensio latius sumpta describitur, siue detur, ut laboris merces & stipendium operæ qualiscunque, siue in subsidium vitæ ob literaturam alicuius, nobilitatem, & morum honestatem; siue loco beneficii, quod quis dimiserit, vel permutauerit, vel quo cessarit ad litem finendam. Nec probabilitate caret (ut à Nauarro dissentiam) pensionem aliquando rem esse profanam, ut dicam inferius: & portio sumitur hic, ut est res iuris, non facti: sicut hæreditas, ususfructus, sunt res iuris. Pensio igitur est portio, hoc est, ius quoddam per se distinctum & separatum à beneficio.

Secundo queritur, Quot, & quibus modis pensio concedi soleat? His duobus modis: aut enim conceditur lucræ & commodi causa, aut oneris. Lucræ quidem, ut cum ex beneficio alicuius pensio alteri referatur in utilitatem eius, ut habeat vnde honeste viuat, ac sustentetur: ac propterea tunc pensio datur in subsidium vitæ & alimentum. Et quod alimentorum causa pia esse censetur: dicitur quoque talis pensio pia. Oneris vero causa pensio conceditur, quia datur alicui, ut lite & controuersia cedat, vel quia beneficium alterius causa dimittit, vel cum altero tenuiore permutat, & ne magnum ob beneficium ab se dimissum, patiarum detrimentum. Porro solent pensiones conferri liberæ & immunes ab omni onere: vnde in literis Pontificiis, quibus istiusmodi pensio conceditur, clausula solet apponi: *Ne N. ex resignatione, seu cessione huiusmodi nimum dispendium patiarum: de alicuius subventionis auxilio prouidentes, pensionem annuam ab omni decima Papali, charitatis subsidio, ordinario, & extraordinario, & quocunque alio onere, quauis etiam Apostolica auctoritate, & ex quacunque quamuis urgentissima, & hic necessario exprimenda causa, etiam pro fabrica basilicæ Principis Apostolorum de urbe: Cruciatæ sanctæ, & tam offensiuæ, quam defensiuæ expeditione contra Turcas, & alios infideles sanctæ Catholice fidei hostes: & ad Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum quorumcumque instantiam, Canonice, & de facto, nunc & pro tempore impostis, & imponendis, etiam in impositionibus huiusmodi pro tempore cauetur ex-*

Azur. Instit. Moral. Pars II.

preste, quod pensionarii pro rata pensionem suarum quantumvis exemptarum contribuere teneantur: at etiam belli, pestis, grandinis: incendii, siccitatis, tempestatis, inundationis, depradationis, & cuiuscumque alterius amissionis fructuum, & ab omni incursu militum, & quibusuis aliis inexcogitabilibus, & insolitis casibus &uentibus pro tempore contingentibus, liberam, immunitatem, & exemptam centum ducatorum super prædicta Ecclesiæ fructibus, redditibus, prouentibus, & reliqua. Item beneficiario ob causam aliquam beneficio priuato solet pensio dari, ut habeat vnde sustentetur.

Tertio queritur, Quotplex sit pensio? Gigas quæst. 4. pensiones licitas, & 5. pensiones illicitas recenset. Verum satis est nosse, licite pensionem aliquando concedi his qui beneficium simpliciter deponunt, vel alterius gratia dimittunt, vel cum altero commutant, vel ab eo ob causam aliquam remouentur, ad litem aliquam & controuersiam de beneficio dirimendam: vel denique eo quod aliquis sit de Ecclesia, vel de republica Christiana bene meritus.

Quarto queritur, An pensio, beneficii Ecclesiastici appellacione contigeatur? Hanc quæstionem tertio libro dissoluimus, cap. 5. quæst. 1. Communis est omnium sententia Doctorum, minime contineri: quoniam est quoddam ius per se distinctum à beneficio, ut ususfructus à proprietate, licet alioqui pensio multa habeat cum beneficio communia: non enim ea concedi solet laico, nisi certi iuris ac regule militi: & cum adolescenti, vel iuueni literis student, datur, clausula apponitur (Modo sit Clericorum tonsura iniunctus) nec confertur, nisi auctoritate Romani Pontificis: nec transfertur, nec extinguatur, siue redimitur sine eiusdem consensu: nec eam potest pensionarius exigere ante literas Pontificis expeditas & obtentast. Cum etiam impetratur pensio, soluitur Annata, ut de his omnibus dicam inferius. Denique pensio licet beneficium non sit: quia tamen ex beneficii fructibus percipitur, ideo de ea vel Constitutiones Pontificiæ, vel receptæ curiæ Romanæ consuetudines multa introduxerunt: quæ si non seruantur, vel Simoniacæ labe contrahitur, vel pensionis impetratio & adeptio nequaquam subsistit.

Quinto queritur, Quid proprie intelligatur pensionis nomine? Respondeo, pensionem aliquando beneficii rationem habere: & tunc beneficium est, non pensio: ut, quando certa portio fructuum ex pingui beneficio detractitur, ut deinceps fiat perpetuum beneficium. Cardinalis in Clem. 1. de supplen. neglig. pralato. & Panorm. in cap. Conquerente. de Cler. non resid. & de hac pensione in præsentis loco non est sermo. Altera pensio est, quæ tribui solet alteri ob temporale ministerium quod præstat Clericis siue Ecclesiis: ut cum certa pensio ex bonis Ecclesiæ assignatur alteri, ut curam habeat pulsandi æra campana, aperiedi fores templi, docendi pueros Grammaticam, vel cantum Ecclesiasticum, vel obeundi munus & officium Aduocati, vel Procuratoris: hoc quoque genus pensionis, præsentis instituti non est. Alia pensio conceditur loco beneficii, ut colligitur ex cap. Quamuis. de preben. 6. & hæc datur alicui, ob beneficium ab eo simpliciter, vel alterius causa dimissum, vel cum altero beneficio tenuiore permutatum, vel ob litem & controuersiam renuntiatam, vel omisiam: & hæc pensio ad præsentem pertinet tractationem. Alia ita pensio referatur alicui tanquam Clerico, vnde viuat. Et hæc conferri solet quatuor ex causis potissimum, ut ait Paulus Roman. tract. de pensio. q. 1. n. 12. quæ sunt, literaturæ alicuius, qui doctrina valet & præstat: Hospitalitatis, qua Clerici peregrini, aduenæ & ceteri sustentantur. Præmium, quia videlicet quis est de Ecclesia bene meritus: Amor, ut cum Papa alicui pensionem tribuit, quod cum amore & beneuolentia, ac fauore prosequatur. Denique vsu est receptum, ut pensiones referentur quibusdam ob vitæ & morum honestatem, & alijs præclaras animi dotes: Et de hoc etiam pensionis genere in præsentis loco tractamus. Item pensio etiam in fundacione Ecclesiæ solet imponi: veluti cum patronus petit, ut Ecclesia à se fundata, & dotata soluat certam pensionem alteri Ecclesiæ. cap. Quanto,

Ccc 2

de cen-

de censibus, aut sibi, cap. Præterea 2. de iure patron. Imo potest etiam in fundatione, & dotatione Ecclesie conditionem apponere: sed non citra Episcopi consensum, ut fructus Ecclesie, quando eam vacare contingit, sibi reddantur, *Glos. in cap. Generali, in verbo, Fundatione, de elect. num. 6.* Nec huiusmodi pensio ad rem nostram est. Nos ergo in præfenti non de omnibus huiusmodi pensionum generibus tractare institimus, verum deis tantum, quæ loco beneficii vel in subsidium vitæ beneficiariis referuntur.

Sexto quaeritur, An pensio sit ius aliquod rei spirituali annexum, An vero temporale & profanum? Communis est omnium iuris Canonici interpretum sententia, pensionem non esse ius aliquod spirituale, aut rei spirituali annexum, sed commodum quoddam temporale, seu ius quoddam profanum per se à beneficio distinctum, & seipsum: eo quod beneficium Ecclesiasticum non sit, nec conferatur iure & ratione ministerii spiritualis, sed in vitæ subsidium. Quin & nonnulli etiam non dubitant dicere, pensionem non esse rem iuris, sed facti, quia videlicet aliud non sit, nisi certa quædam portio ex fructibus beneficii quotannis percipi consueta. Et certe pensionem rem esse profanam, sæpius in Rota iudicatum fuisse testatur *Gamb. lib. citato de offic. & potest. legat. q. 7. num. 2. q. 16. num. 1. q. 99. num. 7.* ubi allegat *Bald. Felin.* & alios id ipsum sentientes. At enim pensionem non esse rem siue ius profanum, sæpe hoc nostro tempore responsum esse in Rota, tradit *Flamin. de sign. beneficio, lib. 6. q. 4. nu. 54.* item esse ius spirituale rei annexam, ut consequens, ait *Navar. in Manual. cap. 23. num. 111. & Rom. 1. consil. de præb. consil. 52.* Non esse rem profanam, sentit etiam *Gamb. lib. citato, nu. 54.* Profecto negari non potest, quin pensio sit ius, non facti res, sicut usus fructus & hereditas iuris. Nec dubitare possumus, quin pensionarius ius habeat annuam pensionem exigendi & percipiendi: sunt quoque pensioni multa sibi cum alio quouis iure rei spirituali annexo communia, quoniam abique superioris Ecclesiastici consensu & auctoritate non datur, neque redimitur, neque transfertur, nec nisi Clericis tribuitur, & per matrimonium contractum extinguitur: & in ea Simonie crimen aliquando committitur, ac ita quibusdam videtur esse ius spirituale annexum, ut consequens: nam non nisi Clericis dari solet & debet. Ego tamen, ut valde probabiliter iudico, pensionem, ius simpliciter esse non sacrum, hoc est, non conuenire Clerico, cui datur ob officium & ministerium sacrum, quoniam datur ut alimentum & in subsidium vitæ, nõ ratione alicuius spiritualis ministerii: quia tamen est portio quædam ex beneficii fructibus detracta, ideo volunt Pontifices, & usus ac consuetudo recepit, ut non detur nisi Clericis nec absque Romani Pontificis auctoritate conferatur, redimatur, aut transferatur, & ut per matrimonium contractum extingatur, & ut ex ea soluantur Annate: denique ut habeat multa cum beneficio communia: & propterea si quis contenderit, pensionem quæ datur alicui, quia Clericus est, esse ius rei spirituali annexum, ut consequens, valde probabiliter loquitur: imo nunc hæc sententia videtur communi consensu recepta, & meo iudicio est vera.

Septimo quaeritur, Quibusnam ex causis soleat pensio conferri? *Rebuffus in praxi beneficiorum parte 1. titul. de reservationibus, num. 22.* ait, in Francia tribus tantum ex causis pensionem tribui. Primo ad litem de beneficio dirimendam, cap. *Nisi, de præbend.* Secundo ne resignans nimio detrimento afficiatur, cap. *Super hoc, de renuntiat.* quod in permutatione secus habet, quoniam qui beneficium permutat, recipit alterum. Tertio in permutatione, qua quis suum beneficium cum altero minus pingui commutat, cap. *Ad questiones, de verum permut.* Porro non admittuntur in Francia nisi pensiones iure communi approba-

ta, quales sunt tres prædictæ pensionum species. In Hispania vero, & in Italia admittuntur etiam ex, quas non ius commune, sed curiæ Romanæ usus induxit & approbavit: quales ex pensiones sunt, quas dixi supra referari solitas alicui ob literaturam, hospitalitatem, præmium, amorem, vitæ & morum honestatem, & alia merita & obsequia laudabiliter in Ecclesie bonum exhibita.

Octavo quaeritur, An Romanus Pontifex possit pensionem imponere in fructibus beneficiorum sine ulla iusta causa? *Gigas q. 6. de pensionib. nu. 6. 7. & 17.* affirmat posse, idque probat auctoritate *Decii in consil. 439. vol. 3. Felin. cap. Ad auctoritatem de rescript.* Ludouici Romani in consil. 369. quod incipit: *Circa primum proposita consultationis: Caecilius in tractatu de pensionib. q. 5.* Ratio eorum est, quia Rom. Pontifex vel est dominus beneficiorum, vel saltem plenissimum habet eorum administrationem, *Clem. 1. ut lite pendente, ad finem, c. 6. Licet, de præben. in 6.* Cæterum, aliud est quaerere, An Pontifex pensionem alicui referret sine ulla iusta causa: aliud vero est, An pensio citra iustam causam alicui referuata valeat, ut pensionarius tunc conscientia eam possit exigere & percipere. Si primum quaeratur, illud absque peccato fieri nequit; quia, ut minimum, quod sine iusta causa sit, imprudenter & leniter, ac temere fit. Deinde redditus Ecclesie in pios usus erogari & infumi debent, ergo in eum, qui bonis abundat, sine ulla rationabili causa conferri iure non potest: nisi forte bona Ecclesie non dispensare potius, quam dissipare Pontifex veller. Si vero secundum quaeratur, arbitror pensionem referuam valere, quia eam sine causa dando, Pontifex contra ius diuinum vel naturale non facit, sed contra Canones & iura, quæ nimirum veniunt, beneficia eam diminutione conferri, Sed quod Papa contra Canones & iura dumtaxat sine causa concedit, valeat: cum eiusmodi iura remittere & relaxare queat: quamvis male sine causa relaxando, faciat. *Gigas q. 6. de pen. num. 13.* Quid si Pontifex pensionem concesserit falsa ex causa? ita videlicet: Titius petit ut sibi pensio referuaretur, & fingit ac mentitur, pauperem se & inopem esse, vel Clericum, vel bene meritum: & has ob causas, quod petit ille, Papa concedit, alioquin non concessurus. Tunc dico, pensionem minime valere, quoniam data est ob causam, quæ non subsistit: & quia clarum est aliquid, quod si narratum & expectatum fuisset, Pontifex minime concessisset: ac propterea impetratio subreptitia censetur. Dices, pensionem inter beneficia non haberi, quorum impetrationes subreptitiæ nullius sunt momenti. Verum est; sed pensio tamen licet beneficium Ecclesiasticum non sit, est tamen privilegium Papæ auctoritate concessum: & ideo cum falsa ex causa impetratur, subreptitia quoque impetratio censetur: ac ideo nullius roboris atque firmitatis, *Gigas de pension. q. 22.*

## CAP. VI.

Quibus sit pensiones in fructibus beneficiorum imponere.

Exploratum, ac certum est, Romanum Pontificem posse in beneficiis pensiones imponere.

Primo quaeritur, An id quoque potestatis & iuris habeant Episcopi, & alii locorum Ordinarii, ut Archiepiscopi, Primates, vel Patriarchæ? *Gigas de pensionib. quasi. 6.* concedere videtur id etiam potestatis Episcopo, ut si pensionem tribuat alicui de Ecclesia bene merito; & profert etiam *Felinus*, & *Antonius Butrium*. Hac item ratione probat *Gigas* sententiam suam: quia si Episcopus, inquit, in sua diocesi vnam Ecclesiam cum altera Ecclesia coniungere potest. *Clem. Si vna, de reb. Eccl. non alienan. c. 1. Præcipimus, & Sicut dicit, 16. quasi. 1.* quidni poterit alicui pensionem referuare? *Petrus* item *Ancharanus consil. 279.* videtur etiam Episcopo concedere, ut scilicet Clerico suum beneficium dimittere possit in fructibus illius

pensio-

penfionem referuare, vnde honeste viuat: quia cum possit ei adiutorem dare certa pensio assignata, ergo & potest ipsi Clerico iam senio confecto, se beneficio abdicanti, id alimentum conferre: atque ita sentit etiam Decius *consil. 439. volum. 3. & Felinus cap. Ad audientiam. de rescript. Antonius Burtius in cap. Audiuimus. de collusio. detegen. docet, Episcopum gratia litis & controuersie componendæ, certam pensioem imponere alteri soluendam: quod idem sentit Caccialupus de pensio. quast. 5. & Gambar. lib. 6. de offic. Episcop. legati. num. 77. Et seqq. ubi late probat id iuris & potestatis in Episcopo esse ex cap. Nisi. de preben. Et cap. Ad questiones. de rer. perm. ubi in permutatione Ecclesiarum Episcopum decreuit, ut Monasterium, quod opulentiorē Ecclesiam acceperat, alteri certam pensioem solueret: & ex cap. Cum uenissent. de rescript. spoliat. ubi de Archiepiscopi sententia, Rector Ecclesie soluebat alteri pensioem, & ex cap. Audiuimus. de collusio. detegenda. Et ex c. Veniens. Et cap. de cetero. de transact. in quibus locis omnibus dicuntur pensiones sine legitima superiorum auctoritate constitute, locum non habere: ergo a contrario sensu illæ pensiones iure approbantur, quæ superiorum consensu imponuntur. Item, ex cap. de Rectoribus. Et capitula nos. de Cler. agrot. auctoritate Episcopi, certa reddituum portio adiutori assignatur. Et cap. Constitutus. de relig. domib. Episcopus censum, siue pensioem referuat Ecclesie, quam alteri Ecclesie subiicit.*

Extra omnem controuersiam est, Episcopos, & alios locorum ordinarios non posse pensiones, de quibus in præsentī negotio sermo nobis est, in beneficiis imponere. Sciendum tamen est, aliud esse, ipsi beneficiario pensioem imponere, aliud vero in ipso beneficio. Nam quæ pensio beneficiarii personæ imponitur, ad successorem in beneficio non transit, sed ipsius beneficiarii cui imponitur, morte finitur: sed pensio, quæ in ipso beneficio imponitur, ad successorem transmittitur, quoniam est onus in ipso beneficio constitutum, & seruitus ipsi inhærens, ac proinde una cum ipso beneficio ad successorem transferitur. At prior illa pensio est onus beneficiarii personæ, non ipsi beneficio impositum; ac ideo ipse, non successor eam soluere compellitur. Quare ordinari locorum nequeunt pensiones in beneficiis constituere. Iure enim cautum est, ne beneficia cum diminutione conferantur. cap. Si quis prob. l. q. 3. cap. Maioribus. Et cap. Veniente. c. Cum causam. cap. 1. ut Ecclesiastica beneficia. Et c. Prohibemus. de consub. Pensiones vero ipsi beneficiariorum personis Episcopi iure possunt imponere, & hoc est quod supradicti auctores dicere voluerunt. id enim colligitur ex iuris capitibus præallegatis: nam in illo cap. Nisi essent. de prob. ad finem, aperte dicitur: *Præ ad præstationem 40. librarum non dignus Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata: ne forte circa prouentus aliqua videatur facta sectio Prioratus. Ita quod ipso Priore defuncto, successor ipsius ad præstationem 40. librarum minime teneatur.* Sic ibi. Et in cap. de cetero. de trans. cum dictum esset, per transactionem sine Episcopi auctoritate factam non posse Ecclesie, censum, vel pensioem imponi, bene tamen Episcopi consensu, subingitur: *sed census absque Episcopali auctoritate, qui præest Ecclesie, sub hoc prætextu solutus, vitam eius qui soluerit, non excedit.* Vnde (quicquid dicat Gambar. prædicto lib. num. 385.) pensio per Episcopum constituta, ad successorem in beneficio non transit, cum beneficium non sit tali pensioe obligatum alteri: sed beneficiarius. Sic Anchar. Card. Imol. in cap. Nisi citato, Gloss. Et Annon. in cap. Audiuimus, de collusio. detegenda. Neque contra nos est id quod habetur in cap. Veniens. Et cap. de cetero. de transactio. videlicet, ad pensioem soluendam successorem non compelli, eo quod non fuerit auctoritate superioris imposita: ergo, ut colligit Gambarus, si esset auctoritate superioris, nimirum Episcopi constituta, ad successorem transiret. Dicimus enim, in eo capite solum dici pensioem, quamuis sine Episcopi auctoritate constitutam, si iuri non repugnet, non esse ab Episcopo imponendam, sed vitam eius qui soluere non debebat, non ex-

cedere, quia erat pensio non ipsi beneficio, sed beneficiario imposita.

Secundo queritur, An legatus à Latere possit pensiones imponere in beneficiis prouinciæ sibi delegatæ subiectis? Gigas q. 6. num. 19. affirmat posse, quia idem iuris & potestatis habet in prouincia sibi commissa, quod Episcopus. Cæterum iuxta ea, quæ in superiori questione diximus, aut pensiones in beneficiis, aut beneficiariorum personis constituuntur: has potest legatus imponere ratione sui muneris & officii, eodem prioris iure, quo Episcopus: illas non item, nisi ad id specialem à Romano Pontifice acceperit facultatem. Solet autem Papa potestatem ei facere constituendi pensiones in beneficiis per resignationem dimissis: ea tamen conditione, ut tertiam partem fructuum non superent: Sed ea potestate accepta numquid poterit legatus pensiones imponere in beneficiis Romano Pontifici referuatis? Minime teste Gigante questione & numero prædictis, cui ipse assentior: quia cum hæc beneficia quæ diximus, nequeat conferre, nequit etiam vllas in eis pensiones constituere. Eadem enim ratio est de toto, quæ de parte. l. Quæ de tota ff. de rei vindicat.

Tercio queritur, An ceteri legati Apostolici, qui simpliciter missi Nuncii vocantur, possint pensiones in beneficiis imponere? Respondeo, iure & ratione legationis sibi commissæ; eos beneficia conferre non posse. cap. 1. de offic. legati in 6. atque idcirco, nec pensiones constituere: Speciali tamen facultate à Romano Pontifice accepta, possunt beneficia centum nummorum aureorum redditum annum non excedentia, in prouincia sibi demandata conferre, hæc enim specialis potestas Papæ indulgentia illis conceditur, ut patet ex eodem cap. 1. de offic. legati in 6. Queritur, An eo ipso quo potestatem specialem habent supradicti legati conferendi beneficia in prouincia vacante, possint pensioem referuare? Nequeunt illi pensiones in beneficium imponere, sicut nec Episcopi, nec legati à Latere: sed nec possunt itidem constituere pensiones, quas legati à Latere vel Episcopi possunt in beneficiis, non beneficiis constituere. Ratio est, quia non est idem iuris de his Nunciis Apostolicis, quod de Episcopis & Legatis à Latere: hi siquidem potestate ordinata, ratione sui muneris & officii beneficia conferunt, vnde & possunt beneficiariis, non beneficiis pensiones imponere: attamen huiusmodi missi Nuncii Apostolici non potestate ordinata, sed delegata beneficia conferunt: ac idcirco nequeunt pensiones constituere, quas Episcopi vel Legati à Latere beneficiariis imponunt. Solent tamen specialem à Romano Pontifice facultatem habere referuandi pensiones in beneficiis per resignationem depositis, tertiam fructuum partem minime excedentes.

Quarto queritur, An Legati vulgo nati dicti ius habeant imponendi pensiones? Respondeo, ratione Legationis qua funguntur eos non posse referuare pensiones, quæ in beneficiis imponuntur: nec eas, quibus beneficiarii onerantur, quoniam beneficia non conferunt, cap. 1. de offic. legati in 6. Sed quatenus sunt Archiepiscopi, possunt pensiones imponere quas Episcopi, videlicet, in beneficiariis tantum, non in ipsis beneficiis constituunt.

Quinto queritur, De legato qui specialem habet facultatem conferendi beneficia, quorum redditus annui centum nummos aureos non superant, & referuandi pensiones in beneficiis per resignationem dimissis vsque ad tertiam partem fructuum, An si admiserint resignationem beneficium, cuius redditus annui sunt 30. nummi aurei: & cum in eo beneficio nequeat nisi pensioem 10. nummorum aureorum imponere, possit in alio beneficio quod habet is, cuius gratia beneficium resignatur, alteram decem nummorum aureorum constituere pensioem? Negat Gigas q. 6. num. 24. cum possit, alioqui enim facultatis sibi commissæ terminos transiret, contra id quod precipitur in c. Cum dilecta, de rescript.

Sexto queritur, An cum Papa pensioem referuat Italo Clerico in beneficio Hispaniensi constitutam, ius pensio-



nis penes Italum sit, An penes Clericum Hispanum? Responsum est in Rota, *ut constat ex decis. 399. prima parte*: Cum Papa referuat pensionem in his verbis: *Concedimus tibi Titio Clerico Italo pensionem centum nummorum aureorum super fructibus Decanatus Tolatani queras Clericum Hispanum, ut teneat illam in persona sua*: tunc penes Titium Italum est ius pensionis, & penes Hispanum laicum nominatum à Titio, est nudum tantum pensionarii nomen. Cum vero Pontifex pensionem concedit in hunc modum: *Assignamus pensionem centum nummorum aureorum super Decanatu Tolatano Caio Hispano Clerico, & volumus, ut eam exigit in commodum & utilitatem Titii Itali Clerici*: tunc ius pensionis residet penes Caium Hispanum, commodum autem & utilitas tota ad Caium Italum spectat.

Septimo quaeritur, An huiusmodi pensio in Caio Hispano Clerico constituta in commodum Titii Clerici Itali, extinguatur obitu ipsius Caii Clerici Hispani, An potius Titii Clerici Itali? Respondeo, extingui morte Caii Hispani, quoniam penes ipsum erat titulus & ius pensionis, quamvis commodum ad Titium Clericum pertinet: Pensio vero finitur & desinit obitu eius, in quo est ius & titulus. *Ita iudicatum est in Rota, decis. 399. par. 1. Quod si penes Titium Italum ius pensionis existat, & penes Caium Hispanum nudum tantummodo nomen*: tunc obitu Titii pensio finitur. Vnde quando ius pensionis est penes Clericum Hispanum, solet Italus, in cuius commodum est pensio referuata, facultatem à Romano Pontifice impetrare, ut possit pensio in Hispano Clerico constituta, ad alium Hispanum Clericum transferri, ut cum illum periculose aegrotare contigerit, alius subrogetur Clericus Hispanus. Si queras, utrius est pensionem transferre, Clerici Hispani, Aut Clerici Itali, quando Papa dat facultatem, ut pensio transferatur? Respondeo esse Clerici Hispani, penes quem est ius pensionis: nam Italus solum habet emolumentum & commodum pensionis. Vnde si Clericus Hispanus nolit pensionem ad alium transferre, eam Italus transferre nequit. Quid dicendum, si Papa dederit facultatem, ut pensio transferatur, & Hispanus Clericus transfulerit ad secundum Clericum Hispanum: Et deinde secundus Clericus Hispanus, ad quem primus pensionem trausfulerit, decesserit, An tunc morte eius pensio finiatur? finitur, quia obiit is, in quo ius pensionis residebat.

Octavo quaeritur, An Titius Italus, penes quem est pensionis emolumentum & utilitas, possit commodum ad alium transferre, etiam Caio Hispano Clerico in scio aut inuito? Potest: non enim tunc pensionem, sed suam commodum ad alium transmittit. *Sic etiam responsum est in Rota, decis. 400. prima parte*. Quid si Titius Italus, postquam ad alium pensionis commodum transfulerit, decesserit? Respondeo, pensionem non extingui, quoniam pensionis ius penes Caium Clericum Hispanum superstitet, & manet, *ut in eadem decis. dicitur*.

## CAP. VII.

### Quisnam sit pensionis capax.

PRimo quaeritur, An certa aliqua aetas in eo requiratur, cui pensio assignatur? nam perspicuum est, ad beneficia obtinenda certam aetatem exigi. Respondeo, ad pensionem habendam, titulo Clericali, non militari, requiri primam Clericorum tonsuram, ut postea ostendemus: atqui prima tonsura ante septennium non ante confertur, ac proinde pensio puero ante septennium non assignatur. *Vidi, inquit Gigas quaest. 13. num. 4. diem Bononia esse, Pontificis literas, quibus Clemens VII. referuabat pensionem annuam 24. ducatorum Cameralium cuidam puero quartum aetatis annum agentis, postquam clericali charactere insignitus esset: & indulgentiam esse illi, ut in eam teneret aetate ad primam tonsuram promoveretur*. Refert quoque Flamin. lib. 4. de re signat. beneficiorum q. 9. num. 12. in Rota iudicatum esse,

pueros iure communi capaces esse pensionum: sed necessarium esse, infans aetatem exprimere, cum à Romano Pontifice impetratur, ut infanti pensionem referuet.

Secundo quaeritur, An qui est excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententia aut vinculo obstrictus, sit pensionis capax? Ait Gigas q. 14. num. 9. cum non esse capacem, ac proinde pensionem ei referuatam nullius esse momenti, quod cum ipso curiae Romanae vii contentit. Nam cum alicui pensio referuatur, in literis Pontificiis solet apponi clausula, quae apponitur cum beneficiis conferuntur, videlicet: *Teque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti & aliis Ecclesiasticis sententiis, censuris & poenis, à iure, vel ab homine quouis occasione vel causa laetis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium damtaxat consequendum, harum serie absolueris, & absolutum fore censens*. & reliqua.

Tertio quaeritur, An laico possit pensio conferri? Archidiaconus in c. *Quamuis*, verbo, *Prondari*, de prob. in 6. affirmat posse: videlicet laico bene de Ecclesia merito, vel laico graui necessitate presso, nec haberi aliunde ex quo suae necessitati prospiciat. Quod & ibidem Francus & Ancharanus affirmant. id illi probant, eo quod pensio est quoddam ius temporale & profanum, à titulo & iure beneficii per se distinctum & separatum, sicut vsustructus à rei proprietate seingitur: *Sic etiam Baldus & Felinus in cap. Ad audientiam. 2. de rescript. & sic Cardinalis & Imola cum aliis citat. Gigas de pensio. quaest. 21. num. 1. & 2. atque etiam Cacciaopus de pensio. quaest. 13.* Ceterum (vni à me superius est dictum) licet communis fuerit opinio, pensionem profanum ius esse: nunc tamen praesul et eorum sententia, qui opinantur, pensionem esse ius rei spirituali annexum, quamuis à beneficio se iunctum. Cum enim pensio referuatur alicui, clausula semper apponitur haec: *Cum primum Clericali charactere insignitus fuerit*. Attamen Romani Pontificis auctoritate confecti potest laico pensio, si rationabilis causa subsit, nimirum si laicus sit bene de Ecclesia meritis, & tali viuae subsidio indigeat: item ad redimendam iniquam vexationem, cum laicus Ecclesiam vexat. Item ad deterius aliquod malum deuitandum, ad pacem componendam: sed latius tunc esset fructus donatae ad totam laici vitam, ut eos ille colligat non suo, sed Ecclesiae, seu beneficiarii nomine. Est privilegium certis Militum collegiis datum, ut ipsi milites quamuis laici, & matrimonii vinculo adstricti possint habere pensiones vsque ad certam numerum aureorum quantitatem. Leo X. primus in vrbe Collegium instituit Militum S. Petri, quibus concessit pensionem vsque ad summam 130. ducatorum Cameralium, ut habetur in eius Constitutione, quae incipit: *Sicut prudens*, quam facultatem deinde confirmauit Clemens VII. Constitutione sic incipiente: *Ministerio*. Paulus item III. aliud Collegium instituit Militum S. Pauli: quibus concessit pensiones ducatorum ducatorum Cameralium, ut habetur in eius constitutione: *Romanus Pontifex ad onera*: quam constitutionem confirmauit Iulius Tertius in sua illa, quae incipit: *Ceterum spectata*. Pius quoque Quartus erexit Collegium Militum Prorium, etque potestatem fecit habendi pensiones vsque ad summam 130. ducatorum Cameralium, quod eius docet Constitutio, cuius haec prima sunt verba: *Pii Patris Sixtus* etiam Quintus creauit Milites Laurentanos cum facultate obtinendi pensiones ad summam 200. ducatorum Cameralium: ut indicat eius Constitutio sic habens initium: *Postquam anno secundo*.

Verum quaerit aliquis, An pensio referuata alicui tanquam Clerico, cum tamen laicus esset, valeat? De hac te Gigas copiose q. 22. ex cuius sententia respondeo, in hunc modum. Aut Papa Titio pensionem referuat aduersus Caii precibus, dicentis Titium esse Clericum, aut referuat motu proprio. Primum si deur, pensio minime subsistit, quia Caius illa retulit, ac ideo impetratio subreptitia fuit. Si secundum: nullius quoque momenti est pensio, quia licet Motus proprius Pontificis vitium subre-

ptionis excludat. *cap. Si motu proprio, de p. ab. in 6.* Non operatur tamen ultra voluntatem Pontificis concedentis, ut docuit Felinus in *cap. Constitutus, de rescript.* sed voluntas Pontificis non est dandi laico pensionem. Valebit ne impetratio, si statim Caius fiat Clericus? Negat Gigas eadem q. num. 16. quia tempore datæ pensionis Caius, Clericus non erat: & quod initio non valuit, solo temporis decursu non conualecit. *cap. Non firmatur, de regulis iuris in sexto.*

Sexto quaeritur, An spurius sit pensionis compos? Quæstio est de pensione, quæ datur alicui, ut Clericus est, non ut laicus. Sunt duæ opiniones, quarum una negat, eamque probat Gigas *quæst. 16. num. 3. de pensionib.* Altera vero affirmat, quæ placuit Cardinali Gabrieli Palæoto in *tract. de Notis & spuris filiis cap. 58.* atque etiam Gomezio in *regula de Amali possessio. quæst. 21. in fine.* Qui quidem auctores eo argumeto mouentur, quod pensio sit ius quoddam profanum, à beneficio per se distinctum & separatum: & ideo si quis habeat facultatem pensionem suam ad alium transferendi, sentiunt eum posse ad spurium transmittere, dummodo sit Clericus: item si spurio Episcopus cõcessit, Canonum mitigato rigore, ut possit Clericus fieri, & simplex beneficium habere, potest citato natalium vitio à Papa pensionem impetrare, resignando coram eo beneficium, & in eo referuando sibi pensionem.

Sed profecto dubium est hoc & incertum, quod affirmant isti. Nam licet pensio, Ecclesiasticum beneficium non sit, est tamen rei spirituali annexum: & talis iuris spurii minime sunt capaces.

Mihi igitur magis probatur prior sententia, quam sequitur Gigas: & ut ait Gambarus *lib. 6. de offic. & potestate legati num. 284.* Pontificia literæ subrepticæ habentur, quibus pensio referuaretur spurio, tacito natalium vitio.

Aspurii, dicunt aduersarii, possunt ius patronatus habere, ut ostendit *cap. Pia mentis, & cap. Fulgentius. 16. quæst. 7.* & tamen ius patronatus est spiritualibus annexum. At enim dispar ratio est & diuersa. Nam Ecclesia spurios à iure patronatus non excludit, ut facilius singuli inuitarentur ad fundandas, vel ædificandas, vel dotandas Ecclesias: at pensio datur in commodum & utilitatem pensionarii. Si tamen Papa sciens ac prudens spurio conferat, ac referuet pensionem, eo ipso eum aptum reddit ad pensionem habendam: Gigas *quæst. 16. num. 11. de pensionibus,* & in *Rota iudicatum est ab auditoribus, ut constat decis. 425. par. 1.* Spurium cui indultum est à Romano Pontifice, ut Clericus fieri queat, eo ipso ad pensionem esse idoneum.

Quæres, An si spurio Romanus Pontifex concedat ut beneficium habeat, & postea spurius illud coram Papa resignat, referuata sibi pensione ipsius Papæ concessu, sed tacito natalium vitio, valeat pensionis impetratio? Ratio dubitandi est, quia idem iuris est de parte, quod de toto: Sed ille factus est habilis ad beneficium: ergo ad pensionem super illud beneficium impositam. Ex altera parte videtur dispensatio Pontificia in primo actu finiri, eum spurium beneficium consecutus est. Primum probabilis est, quia tunc Papa loco resignati beneficii pensionem referuat & confert. ergo eo ipso quo spurium facit habilem ad beneficium, fecisse quoque videtur habilem ad pensionem habendam in illo beneficio resignato constitutam: secus est, cum in aliis Pontificia dispensatio primo actu finitur, & definit: quia in primo tota completur.

Si iterum roges: An si spurio Romanus Pontifex sciens concedat, ut possit beneficium habere, eo ipso tacite concessisse intelligatur, ut pensionem obtinere queat? Ratio dubitandi est, quia in dispensatione argumentum nõ valet ab uno ad aliud, licet primum sit maius; nisi secundum sit primi pars, aut cum primo necessario connexum. Ex altera parte videtur esse concessum, ut pensionem habere possit, quia eo ipso quo factus est capax beneficii, videtur factus capax pensionis, quia pensio datur loco beneficii. Item si factus est aptus ad beneficium, ergo ad primam tonsuram, sine qua beneficium haberi non po-

test: at ut superius dixi, eo ipso quo quis à Papa impetrat, ut quamuis spurius sit, possit Clericus fieri, factus est capax pensionis, quia ut Clericus debet ex bonis Ecclesiæ alii sustentari: ergo si factus est beneficii capax, eo ipso factus intelligitur habilis ad pensionem habendam. Hæc opinio mihi magis placet, secluso curiæ stylo, si contrarium habeat; nam stylus curiæ, legis rationem habet.

Aliud vero est, si quis spurius auctoritate Episcopi factus sit habilis ad primam tonsuram, & simplex beneficium: nam is non eo ipso factus est capax pensionis, cum Episcoporum non sit pensiones in beneficiis imponere. Unde si is, tacito natalium vitio, pensionem consequatur à Papa, irrita est impetratio. At vero si Episcopus concesserit pensionem spurio Clerico in iis casibus, in quibus superius dixi *cap. 6. quæst. 1.* eum posse concedere, rata & firma erit talis donatio, si prius ipse Episcopus eum fecerit habilem ad primam tonsuram, & ordines minores, etiamsi cum talis Clericus ab Episcopo talem impetrat pensionem, natalium vitium taceat. Sic Gigas *quæst. 16. citata, & 18.*

Septimo quaeritur, An Titius habens facultatem transferendi pensionem ad quemcumque voluerit, eam possit transferre ad filium suum ex legitimo susceptum matrimonio, vel etiam extra matrimonium natum? Mando sius in *tractatu signatura gratia & iustitia, tit. Translationes,* negat, ob eam rationem, quod Clemens VII. in Constitutione, qua incipit: *ad Canonum,* quam ad verbum refert Gigas *de pension. quæst. 86.* statuit, ne filius presbyteri possit succedere in beneficio, quod pater obtinuit: Sed appellatione beneficii laxius sumpta pensio continetur teste Felino *cap. Postulasti num. 8. de rescript. & Caccialupus, de pension. quæst. 30.* Verum aliter sentit Gigas *quæst. 86. num. 5.* quem sequitur Flaminius *de resignation. beneficio. lib. 6. q. 4. num. 21.* quia pœnæ & odia sunt restringenda. Ergo ea Constitutio locum habet in beneficio, in pensione non item. Nec obstat, inquit Flaminius. Concilii Trident. decretum *sess. 25. cap. 15. de reformat.* ubi statuitur, ne filius possit habere beneficium in Ecclesia, in qua pater illud habuerit, vel habet, etiamsi sit dissimile, atque etiam pensionem super fructibus illius beneficii: Nam hoc, inquit ille, solum prohibet, quo minus pater habens pensionem in beneficio, quod per resignationem dimisit, possit eam transferre ad filium: at vero si pater pensionem habuerit in beneficio, quod ipse nunquam obtinuit, minime impeditur à pensione ad filium transmittenda. Nihilominus exeat Constitutio edita à Pio Quinto, cuius hæc prima verba sunt: *Quæ ordini Ecclesiastico:* in qua decernit ut nullus siue testamento, siue donatione, siue legato, siue elemosyna, siue alio quocumque titulo, & pio opere ex bonis Ecclesiæ aliquid ad spurios filios transmittat.

Octauo quaeritur, An spurius legitima auctoritate solutus à legibus, ut Clericus fiat, & beneficium habeat, hoc ipso factus sit capax pensionis? Respondeo, cum hac distinctione: Aut est legibus solutus auctoritate Episcopi, qui Canonum rigorem remittendo, potest facultatem concedere, ut spurius minoribus ordinibus initiari, & beneficium liberum omni cura animarum retinere queat. *cap. 1. de Fil presbyt. in 6. ac ibidem Ioannes Andreas, Archidiaconus, Geminianus, & Ancharanus:* Aut Romani Pontificis indulgentia soluitur ab illis legibus: si primum, non eo ipso factus est capax pensionis, nisi illius, quam potest Episcopus conferre, iuxta id quod superius dixi *cap. 6. quæst. 1.* Si secundum vero, Gigas *quæst. 18. de pensionibus* sentit adhuc egere Pontificis concessu & beneficio, ut fiat idoneus ad pensionem habendam, quoniam in legum & Canonum relaxatione argumentum à maiori, pari, vel simili sumptum, non valet. Nam (ut hoc exemplis probem) e. vlt. de *Translat. pralato.* cõceditur euidam, ut ad maiorem Ecclesiam transeat, nec tamen eo ipso est illi cõcessum ut ad minorem vel parem Ecclesiam transferatur. Sed certe probabilis videtur, si Papa concedat spurio ut Clericus

fiat, & beneficium obtineat, eo ipso esse illi concessum, ut sit quoque pensionis capax. Et Gigas ipse *questione practica ad finem*, ait: Quando taliter dispensatus consecutus fuit beneficium simplex, siue curatum, & illud renuntiasset referuata sibi annua pensione super fructibus illius, eam poterit retinere, quia idem iuris est de parte, quod de toto *cap. Maioribus de praben. Et Quae de toto, ff. de rei vendica*. Ergo si spurius potest beneficium habere, poterit quoque pensionem sibi in eo beneficio dimisso referuare. Et *questione decimanona, ad finem: Praemissis*, inquit, *omnibus non obstantibus, si essem iudex, indicarem semper illegitimum dispensatum quoad ordines, Et ad beneficia, esse capax Ecclesiasticae pensionis*.

Nono quaeritur, An Titius consensu Pontificis transferens pensionem ad Caium, cum primum Clericali characteris fuerit insignitus, ac non aliter, eam exigere & percipere queat, antequam Caius sit Clericus effectus: hoc est, An possit exigere toto eo tempore conditionis in futurum pendente? Nam ex vna parte videtur eam capere & percipere non posse, quoniam pensio per translationem extinguitur, & noua altera constituitur; ergo Titius à die, quo in translationem consensit, pensionem extinguit. Ex parte altera, cum pensio sit sub conditione in futurum pendente translata, non videtur Titius suo se iure abdicasse ante conditionem impletam. Respondeo, posse Titium ante conditionis euentum pensionem exigere, quia quodcumque consensus est conditionalis, ante conditionem impletam, perinde est ac si datus non esset. *Baldus in l. Siquidem, C. de Exception.* Ergo pensio non est extincta. Quemadmodum cum quis suum beneficium dimittit alterius gratia, & non aliter, non se abdicat beneficium quod deponit, nisi alteri conferatur. Sic Flaminius de *renunciatione beneficiorum, quest. 4. §. 1. Et seqq.* ubi nominat etiam alios auctores pro eadem sententia. Quid dicendum vero, si ille absque legitima facultate primam Clericorum tonsuram ab alieno Episcopo acceperit? statimne ut eam acceperit, pensionem per Titium ad ipsum translata acquirat? Minime, quia primam tonsuram ab Episcopo non suo sine sui Episcopi licentia accipiens, est ipso iure suspensus: ita ut ad vltiores ordines promoueri non possit sine legitima superioris auctoritate: ac proinde nequit capere pensionem.

Decimo quaeritur, De Titio, qui vicinus morti, habensque potestatem transferendi pensionem ad Caium nepotem suum, si cum obierit, aetatem legitimam, & primam tonsuram, vel minores Ordines ipse Caius habuerit: sin minus, eam transferat ad Seium alterum nepotem: valebit nec ne huiusmodi translatio, ad Seium facta, si prius facta est ad Caium, si legitimam aetatem & minores ordines aut primam tonsuram habuerit: cum Titius decesserit? Valebit sane: quia licet quando Titius obierit, Caius, nec aetatem legitimam habebat, nec erat Clericus: Titius tamen non simpliciter ad eum pensionem transtulerat: nam si ita transtulisset, nullius momenti translatio fuisset: sed quia sub conditione transtulit, ideo sub conditione consensum praestitit: ac proinde ius, quod in pensione habebat, non amisit: atque idcirco pensionarius potuit ad Seium nepotem alterum pensionem transmittere, cum conditio in Caio suum effectum non fuerit sortita.

Vndecimo quaeritur, An religiosus idoneus sit ad pensionem consequendam? Respondeo, religiosum, qui solemniter voto est paupertatem professus, nihil proprium habere posse. *cap. Cum non dicatur, 12. q. 1. Et cap. Cum ad Monasterium, de statu Monach.* ex quo fit, ut pensionem habere nequeat religiosus, cum pensio sit ius quoddam certam pensionem ex fructibus beneficii exigendi & percipiendi. Ergo, quemadmodum religiosus vniuersum in re aliqua habere non potest, ita nec in beneficio pensionem. At Romani Pontificis auctoritate conceditur aliquando religioso, vel in monasterio, vel extra illud viuenti pensio, qua honeste & commode sustentetur. Quaerit aliquis,

An Abbatis superioris concessu possit Monachus, vel religiosus certam aliquam pensionem habere ex Monasterio bonis, unde sibi de victu vel vestitu prospiciat? Iure communi & antiquo potest: ita tamen ut superior eam ad nutum suum possit auferre & reuocare. *Panormitanus in cap. Nisi essent, de praben.* Nam ut seruis expresso, vel tacito domini permissa, potest peculium possidere, licet proprium quid habere nequeat. *l. Quam Taberontis, ff. de peculio.* Sic religiosus potest iure communi antiquo ante Concilium Tridentinum peculium aliquod habere, sed Abbatis nutu reuocabile, tunc enim proprium non habet.

Quare Monacho concedi potest, ut habeat aliquid ad vitae vsus necessarium, ut docuit Calderinus *consil. 2. in rubrica, de regularibus.* & Innocentius *cap. Insinuanti, de Clerici vel Monachi*, Bartolus *in auben. ingressi, C. de sacrosanctis Ecclesiis*, quos memorat Gigas *de pension. q. 15.* Mouet quoque Ioannes Andreas *in cap. Non est obligatorum, de regul. iuris in 6. statutum valere editum in Cenobio, ut quisque habeat decem aureos in singulos annos ad vestitum sibi parandum.* Sed, An pensionem Abbatis nutu Monacho datam, & postea auctoritate Papae confirmatam possit Monachus inuito Abbate retinere, dubium est. Ait Panormitanus *loco proximo dicto* posse, quia inferior non potest auferre priuilegium, superioris auctoritate concessum: quod quidem locum habet, cum Papa sciens & prudens talem pensionem confirmauerit: alioqui minime, teste Gigante *loco citato, num. 3.* Ex his haberi iudicium potest eius quaestio, An religiosus certam aliquam religionem professus, cum ad Episcopatum promotus est, quem deinde Romani Pontificis auctoritate deponit, licite sibi ex eo annuam reseruet pensionem ducentorum aureorum nummorum Papae consensu? hoc enim posse fieri, inde colligitur, quia licet non sit voto paupertatis absolutus, eam tamen pensionem Pontificia auctoritate possidet, qua commode sustentetur.

Duodecimo quaeritur, An foeminae possit assignari pensio? Negat Gambarus *lib. 6. de offic. Et potestate legati, num. 281.* posse eam assignari, praeterquam Abbatissa, ac Priorissa Monasteriorum, vel Ecclesiarum suarum praefecta, in quibus certa quaedam beneficia habent, ut *Doctores annotant in cap. Cum ad Ecclesiarum, de offic. ordin. Et cap. Dilecta, de maiorib. Et obediens.* His enim foeminis auctoritate Papae potest pensio conferri, in fructibus, siue bonis suarum Ecclesiarum, vel beneficiorum constituta.

## CAP. VIII.

In quibus beneficiis possint pensiones constitui.

PRIMO quaeritur, An in beneficio iure patronatus affecto, possit in beneficio patrono pensio constitui? Hanc quaestionem tractat Gigas *de pension. quest. 24.* & Gambarus *libro paulo ante nominato, num. 94.* Ex quo: um sententia respondeo, posse, quia pensio in huiusmodi beneficio imposita, nihil derogat iuri patroni: beneficium quidem sine eius consensu non conferitur: sed postquam nutu eius est collatum alicui, pensio absque eius consensu alteri referuatur: Ut si legatus Romani Pontificis habens facultatem conferendi beneficia, & imponendi pensiones, Titio Clerico à Patrono nominato, conferat beneficium, & postea pensionem Seio referuatum in eo constituat. Sed Patrono, inquit, alimenta debentur. *cap. Pia mentis, Et cap. Filio, 16. quest. 7.* ergo Patrono nocet pensio in beneficio constituta. Respondeo: Si reuera contingeret, ut patronus alimentis indigeret & vtrique videlicet ipsi & pensionario satisfieri ex fructibus beneficii nequireret, prior esset Patroni causa, quam pensionarii. Est enim beneficium obligatum Patrono. Is autem, qui in re aliqua anteriorem habet hypothecam, iure praefertur. *l. Prior, Et l. Qui balneum ff. Qui potiores in pignore habentur.*

Secundo quaeritur, An si pensio in dicto beneficio sit

immo.

immodica constituta, ita ut noceret Ecclesie, possit Patronus excipere, & petere ut extinguatur, vel ad debitam quantitatem redigatur? Potest, ait Gigas, & vere, *quest. 24. num. 12.* quemadmodum etiam potest id petere, si omnia bona Ecclesie sine causa, aut plura, quam par est, alienentur.

Tertio queritur, An cum à Romano Pontifice pensio impetratur in eo beneficio constituta, iuris, quod in illo Patronus habet, sit mentio facienda? Distinguit Gigas *eodem in loco*, quem & sequor: si Patronus est Clericus, non est necesse mentionem facere. Idem est dicendum de Patrono laico, sed ius patronatus habente ex præscriptione, vel consuetudine, vel privilegio acquisitum: his enim in tribus causis potest, & solet Papa beneficia conferre Patroni iure neglecto, vel expresse abrogato. Quando vero laicus est patronus ex fundatione, vel adificatione, vel dotatione Ecclesie, necessario fieri mentio debet; quia aliter si fiat, literæ Pontificiæ quibus pensio reservatur, subreptitiæ censentur, quia relatur aliqui, quod si pateret, difficiliorem redderet impetrationem pensionis: quia non solet Pontifex laici patroni facile iuri derogare. Eadem ratio est, quando sunt duo Patroni, Laicus & Clericus, tunc enim tale ius patronatus petinde se habet, ac si esset simpliciter laicorum.

Quarto queritur, An pensio reservari queat, cum beneficium conferretur, An vero possit imponi, postquam est collatum? Respondeo; id usu servari, ut pensio utroque modo imponatur: primo tamen modo, frequentius. Cum autem ea imponitur secundo modo, id non fit sine eius consensu, in quem est beneficium collatum, quia ius habet in beneficio: Ergo ut ex parte fructus eius minuantur, opus est eius consensu, eo quod initio integros accepit fructus beneficii.

Quinto queritur, An in beneficio parochiali pensio possit iure constitui? Respondeo, Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 13. de reformat.* vetuisse, ne in parochiali beneficio pensio imponatur, nisi 100. ducatorum quantitatem excedat, quod & ipse usus observat, ne parochialis Ecclesie Rector plus quam æquum est, oneretur: debet enim ex eius redditibus honeste sustentari, iura Episcopalia solvere, hospitalitatis officium exercere. *cap. Vacante, c. Cum causam, & cap. de Monachis, de prebend.* Si vero 100. ducatorum summam excedat, pensio solet imponi pro quantitate quæ superat. Olim imponebatur usque ad tertiam partem fluctuum in omnibus beneficiis: & iusta pensio censebatur, quando cumque tertiam partem non excedebat.

Sexto queritur, An requiratur consensus Rectoris beneficii, cum assignatur alicui pensio in eo beneficio? De hac questione Gigas *de pensionibus, quest. 10.* ubi ait: Si loquamur de Episcopo, in quibus potest pensio assignari, *ut diximus cap. 6. quest. 11.* nequit imponere citra consensum Rectoris beneficii. *sic etiam Cœcilus de pension. quest. 5.* imo si vacaret beneficium, in cuius fructibus constituitur pensio, esset, inquit, dandus legitimus defensor ad consentiendum in pensione: quod probat Gigas auctoritate Innocentii, Romani, Oldradi, & Ancharani. Idem dicendum est de legato Pontificio in casibus, in quibus potest assignare pensionem. Si vero loquamur de Romano Pontifice, potest quidem ille pensionem imponere absque consensu Rectoris beneficii, sed id facere non solet. Est regula Cancellariæ, quæ in regulis Adriani est 41. in regalis autem Leonis X. est 43. in qua aperte dicitur, etiam motu proprio literas reservationis annuæ pensionis super alicuius beneficii fructibus expediri non posse, nisi ex consensu illius, qui pensionem solvere debet: qui si præsens in curia sit, personaliter, alioqui per procuratorem suum ad hoc specialiter constitutum cum solito iuramento consensum præstet: alias literæ nullatenus expediantur. Vnde Gigas recte infert, reservationem pensionis etiam motu proprio factam, non valere sine consensu Rectoris beneficii pensione gravari,

nisi in tali reservatione Papa deroget prædictæ regulæ Cancellariæ, alioqui enim ereditur eam regulam velle servare.

Si queras, An Rector beneficii in curia præsens possit consentire in pensione assignata per procuratorem ad hoc specialiter constitutum? Glossator *in regula 44. Cancellariæ in regulis Innocentii VIII.* dicit posse, p. oba: *ex regula iuris in sexto, Quis per alium.* Eius sententiam merito cõfutat Gigas q. 11. nam in regula dicitur, [si præsens sit in curia, personaliter consentiat, & iuret.] Item quum lex alicuius præsentiam postulat, tunc actus per procuratorem expediri non potest Abbas *in cap. cum parati, de appellat.* ait, quãdo in statuto requiritur præsentia propinorum, non sufficit, si per procuratorem adint, nec sufficit rati habitio. Item quando lex vel statutum requirit proprium iusiurandum, non satis est procuratoris iuramentum, etiam si fuerit ad id specialiter constitutus.

Septimo queritur, An in Episcopatu possit pensio constitui? Responset Paulus Romanus *de pensionibus cap. 1. num. 1. in 1. causa*, & Gigas *de pensionibus. q. 7. in principio*: non nisi magna ex causa Episcopatus pensionibus onerari solitos. quare in Concilio Lateranensi sub Leone X. statutum est, ne mensis Episcopibus pensiones imponantur: nisi ex causa resignationis, vel etiam alia, quæ in Consistorio secreto licita, honesta, & probabilis videatur. Hinc ille mos manavit, quo Romanus Pontifex, cum in Episcopatibus Antistitum obitu vacantibus pensiones imponit, Concilio Lateranensi speciali iure derogat adiecta clausula. [Non obstantibus constitutionibus et iuris Concilii generalis:] nec enim, ut quidam avunt, sufficeret ea clausula generalis: *Non obstantibus constitutionibus quibuscumque*, nam per eam clausulam non esset Constitutioni Concilii derogatum: cum ea clausula generalis solum posset comprehendere Constitutiones Pontificias. *Archidiaconus cap. 1. de Constitutione in sexto. Decius cap. 1. in prima lectura. num. 2. de iudicis. Ioan. Selua de beneficiis par. 3. quest. 11. num. 31.* In Concilio vero Trid. *sess. 24. cap. 13. de reformat.* decretum est, ne Ecclesie Cathedralis, quarum redditus annui summam mille ducatorum non superant, vilius pensionibus graventur: quod etiam usus observat. Nec Concilio derogatur, nisi eius speciali facta mentione. Hispaniarum Rex, in Episcopatibus, in quibus omnibus ius habet patronatus, solet auctoritate Romani Pontificis expediendas pensiones reservare usque ad tertiam partem. Vnde in schedulis Consistorialibus, Cardinalis, qui Ecclesiam Cathedralis vacantem denuntiat, & à Papa petit, ut nominatum, presentatum, & oblatum à Rege, Episcopum instituat, dicit in hunc modum: *Supplicatur pro expeditione pensionis annuæ in favorem personæ, N. vel nominandæ, & quæ una cum pensionibus tertiam partem fructuum non excedit.* In beneficiis simplicibus solet pensio constitui, quæ non superet dimidiam fructuum partem. Quod si beneficii redditus annuus 24. ducatos non excedit, nulla solet imponi pensio, ait Mandosius *in tract. de Signatura gratia & iustitia, tit. pensiones.* Item, si beneficium quod resignatur, est Canonicatus, aut dignitas, non solet onerari pensione, nisi redditus eius 100. ducatorum quantitatem excedat: & tunc pro quantitate, quæ superat, pensio solet imponi.

Octavo queritur, An in beneficio commendato possit pensio constitui? In his beneficiis, quæ nostra ætate de more commendantur, imponi potest: nam illa idem iuris habent, quod beneficia collata. *Propositus in cap. 2. num. 4. & 5. quest. 3. Anania, in cap. Non satis, de Simonia. Gambar. de offic. legati lib. 6. num. 154.*

Nono queritur, An cum Titius resignando suum beneficium dimittit, quod cõfertur Caio, non solum pensio reservari queat ipsi Titio in eo beneficio dimisso & collato Caio, sed etiam in eo beneficio, quod Caius iam ante obtinebat? Respondeo, usu esse receptum, ut Clerico suum beneficium dimittenti, referretur pensio constituta in alio beneficio, quod resignatarius habebat:

videli.

videlicet, quando beneficium dimissum nequit pensionis onus sustinere, ob tenues eius beneficii redditus: imponitur enim tunc pensio, vel simpliciter in aliis resignatarii beneficiis, vel simul in beneficio per resignationem dimisso, & in alio, quod resignatarius ante possidebat.

Decimo quaeritur, An Titio suum beneficium deponenti in gratiam Caii, possit ei pensio referuari in beneficio Sempronii constituta? Est id quoque in morem inductum, ut resignanti beneficium pensio referretur, imposita non quidem in beneficio resignato, nec in alio quo resignatarii, sed in cuiusdam alterius beneficio. Huius rei iubiicium exemplum. Resignat Titius suum beneficium, quod conferretur in Caium; & cum tale beneficium tenuerit, nec Caius vllum aliud habet, referretur Titio resignanti pensio, in beneficio, quod Scius habet, imposita: ea tamen minime imponitur Caio dissentiente. At qui citra Simoniam labem, dicit aliquis, nequit id fieri vltimo modo: sic enim videtur vendi Caio beneficium pensionem loco pretii accepta, quam Scius pro Caio se solutum promittit. Cum item conferretur beneficium, idcirco in eo pensio constituitur libera omni simoniae vitio, quia beneficium alicui dare referuata pensione, nihil aliud videtur esse, nisi illius beneficii fructus ex parte minuere. Vt exemplo: beneficii, quod in Caium conferretur, annui redditus sunt 200. nummi aurei, referuatur in illo pensio Titio 50. aureorum, ac proinde Caio non datur integrum beneficium, sed diminutum, quia conceditur ei eius percipiendi solum 150. aureos: at vero cum Caio datur beneficium dimissum à Titio, & referuatur pensio ipsi Titio in beneficio Scii constituta, videtur esse facta venditio vel permutatio beneficii cum pensione: quod etiam est absurdum. Negamus (respondendo obiectioni) vllum hic simoniae crimen contineri, vti nec in exemplo superioris quaestiones: potest enim Papa pensiones imponere non solum in beneficiis quae conferuntur, sed & in beneficiis iam ante collatis. Nec impedit, quod beneficium ante acceptum, beneficiarius tanquam suum possideat: quoniam beneficiorum, cum sint bona Ecclesiarum, semper Romanus Pontifex plenissimam habet administrationem: & ideo non solum ea quae conferuntur beneficia, sed etiam ante collata, potest pensionibus onerare. Quis enim negare audeat, quin iustus de causis, ob communem scilicet Ecclesiarum necessitatem, possit Pontifex, & beneficiarius, & Ecclesiarum bonis novos census imponere, & antiquos augere, & amplificare?

Vndecimo quaeritur, Quid dicendum, si Titius, qui duo beneficia dimittit Caii gratia & fauore, referuata sibi pensione 100. aureorum in vtroque, ac deinde Caius resignatarius vnum alterum illorum dimittit Sempronii causa: Caius ne, An Sempronius Titio debeat pensionem impositam? Gambarus praecipuo libro, num. 667. respondet distinguendo: aut illa duo beneficia pares redditus fuerunt, aut impares. Si pares, onus pensionis aequae in Caium & Sempronium diuiditur, ut constat ex l. Reus, §. Cum in talibus ff. de duobus reis. Si vero impares, onus diuiditur pro rata portione fructuum, ut ex cap. Constitutus, de religio. domibus, manifestum est.

Duodecimo quaeritur, Valeat ne pensio referuata citra consensum eius, qui regressum, ingressum, vel accessum habet ad beneficium, in quo est constituta? exemplum sit, ut declarem: Scius regressum habet ad beneficium Titii, & Titius Scio in scio beneficium dimittit Caii gratia, & fauore, referuata sibi in eo certa pensione: Quaeritur, An haec pensio subsistat absq; consensu Scii? De hac quaestione Gigas de pensioni. quest. 79. vbi affirmat pensionem valere, sed sine villo ipsius Scii detrimento: ac ita esse in Rota iudicatum. Ita etiam Puterus decis. 79. lib. 2. Flaminius de resignatio. beneficio. lib. 6. quest. 2. num. 86. Nam etiam in simili causa, si feudatarius filios non habens, feudum det in dotem filiae suae, concessio valet, dum pater viuat, non postea, cum successori nocere non possit. cap. Nuper, de donationibus inter virum & uxorem: sic quoque valet ea

pensio referuata, citra vllum tamen detrimentum eius, qui habet regressum ad beneficium: Ita vti si ad beneficium aliquando reuertatur, illud pensione liberum reuertetur, perinde ac si nulla esset in eo pensio constituta. Et idem iuris est, etiam si Motu proprio Romani Pontificis sit ea pensio assignata: nam vti ait Gigas q. citata. num. 3. Cardinalis, Imola, Decique securus sententiam; Motus proprius Romani Pontificis nihil tribuit cum detrimento iuris alicui acquisiti. Nam Papa non vult privilegium vel ius alicui concedere, nocendo iuri alterius.

Decimo tertio quaeritur, An qui succedit in beneficio onerato pensione, eam solvere debeat? Communis est omnium sententia, solvere debere: ut docet Gigas quest. 43. Ratio est, quia pensio est onus reale impositum in fructibus beneficii, & beneficium ad beneficiarium successorem, cum suo onere transit. Deinde hoc ipso quod is qui succedit, consensum praestitit, accipiens beneficium oneratum pensione, videtur quasi contrahere, & sese pensionario obligare: Vnde contra eum actio personalis oritur, ac surgit ex quasi contractu. pensiones enim in beneficio impositae, sunt quasi onera in rebus constituta, quales sunt decimae, census, collectae, & similia. Et ideo in literis Pontificiis, vbi pensio referuatur alicui, solet clausula apponi, haec videlicet: *pensionem annuam per Titium Ecclesiae illius modernum Rectorem, & eius in praefata Ecclesia successorem persolendam, vti ait Parisius consil. 82. num. 2. vol. 4.* quare successori, literae Pontificiae, quibus pensio referuatur, denuntiantur.

Decimo quarto quaeritur, An qui succedit in beneficio pensione onerato, solvere pensiones debeat, quas beneficiarius demortuus praeteritis annis non soluerat: an potius haeres beneficiarii? De hac quaest. Gigas de pensionibus quest. 39. de qua ea re, ait se Venetis lae prius interrogatum fuisse, & Gambarus lib. 6. superius memorato, num. 428. vbi dicit Auditores in Rota hanc quaestionem insolutam reliquisse: & Cassadorus decis. 4. in Rubrica de locato, ait, rem hanc esse dubiam, & inter praedictos Auditores laepe agitatam, definitam tamen nunquam. Duplex est auditorum opinio: Vna affirmantium, haerem debere eas pensiones solvere, si demortuus beneficiarius male eas consumpserit, aut in suos vsus priuatos impenderit. Ita Cacialupus de pensionibus. quest. 11. Gambarus lib. 6. quest. 11. num. 441. Ratio eorum est, quia is, qui succedit in beneficio, nihil percipit ex fructibus praeteritis, cum illos retinuerit sibi, atque consumpserit beneficiarius prior. Altera est opinio affirmantium, eum qui succedit, solvere eas pensiones debere. Ita Francus in cap. vlt. ad finem de officio. cui videtur magis accedere Gigas quaestione citata. numer. 9. & 10. Nauarrus tomo 1. consil. de praeb. consil. 4. l. m. 3. & seqq.

In hac quaestione conueniunt omnes auctores, si pensiones extent apud alterutrum, nempe haerem, aut posteriorem beneficiarium, cum illas pensiones solvere debere: & de hoc minime dubitatur. Contentio item, Si prior beneficiarius pensiones in utilitatem & commodum Ecclesiae conuertit, esse soluendas ab eo qui in Ecclesia successit; quod si insumpsit eas in utilitatem haeredis, ab eo solui debere. Vis ergo quaestiones in eo consistit, An cum prior beneficiarius eas vel male consumpserit, vel in suos vsus priuatos impendit, debeat solvere is, qui in haereditate, an qui in beneficio successit? Ac probabilior em ego quidem arbitror secundam sententiam, nam pensio est onus in beneficio impositum: quemadmodum census, decima, vel collecta. Sed bonum haec onera in se habentium possessor creditor obligatur. cap. Si quis laicus. 16. quest. 1. & l. Imperator. ff. de publicanis. Onus enim, & seruitus in rebus imposita, cum rebus ipsis transferuntur. cap. Ex literis, de pignoriibus, & cap. Eum. §. 1. de donationi. Neque obstat argumentum prioris sententiae. Nam licet ad eum, qui in beneficio successit, superioris temporis pensiones non peruenerint, peruenit tamen ipsum beneficium pensionario cum onere & seruitute ob-

ligatum.

ligatum. Quamvis etiam fructus ex beneficio nondum percepti, etiam perceptum ipsam beneficium. Vt propterea pensionarius convenire queat novum beneficium possidentem, & ab eo transacti temporis sibi debitas pensiones exigere.

Decimoquinto quaeritur, An qui in beneficio succedit, pensiones debeat solvere, a priori beneficiario, qui beneficium dimisit, & superstes est, minime solutus, aut quia noluit ille, aut quia non potuit? Respondet Gigas, cuius ergo responsum probat, *quæst. 43.* eas solvere beneficiarium debere, ad quem fructus beneficium, cum adhuc vivat, annis superioribus pervenerunt; nam fructus beneficium singulis annis tacite sunt hypothecæ subiecti pro pensione soluenda, *sic Romanus consil. 388.* ita vt cum eo, qui fructus percepit, hypothecaria actione litigare possimus, *ut dicam inferius.* Teste etiam Dominico in *cap. ult. §. Porro, de offic. ordinari. in 6.* collectam singulis annis beneficio impostam is debet solvere, ad quem illius anni fructus deventur, quamvis collecta nondum soluta beneficium dimiserit. Gigas tamen recte annotavit, pensionarium posse contra alterum agere in iudicio: potest enim vel novum beneficium possidentem indicere, vel antiquum: cautius tamen faciet, si novum possidentem conveniat.

Decimosexto quaeritur, An cum pensio imponitur in fructibus certi beneficii, prædii, vel possessiones habentis, quæ quotannis duplices fructus fuerunt, bis ad annum solvi debeat? Minime, quia pensio non debetur ex huius, vel illius prædii fructibus, sed generatim ex omnibus beneficii redditibus.

Decimoseptimo quaeritur, An in distributionibus quotidianis pensio imponatur? Communis omnium sententia negat imponi ob eam causam, quod pensio ex beneficii fructibus debeat; quotidianæ vero distributiones nequaquam in fructibus beneficii numerantur. *Oldradus consil. 117. Ioan. Andreas in rubrica de concess. præben. Rotæ decis. 134. in novis. §. 766. in antiquis. Felinus cap. Ad aures, de rescriptis.* Quoniam distributiones sunt laboris stipendium, & operæ, & ministerii merces. *cap. primo, de Cleric. non resid. in sexto.* Sed dubitabit aliquis, An quando præter distributiones quotidianas sunt quoque redditus communes, qui diuiduntur in eos, qui certis anni temporibus intersunt officiis diuinis, licite in illis pensio imponatur? Refert Gambarus *de officio, & potestate legati lib. 6. num. 24.* in Rota iudicatum, constitui non posse, quia licet communes sint tales beneficii redditus, fructus tamen illius non censeantur, quoniam, vt laboris merces & stipendium operæ debeat. Atramem, Mandosio recte *lib. de Signatu. gratia & iustitia, tit. pensiones,* aliquando pensio in quotidianis distributionibus imponitur, & tunc ea solet clausula apponi: [Etiam si in solis distributionibus, & non nisi, præteritis, & diuinis officiis interessentibus dari, & per eos lucrari consuetis, &c.] qua clausula apposita debetur pensio, etiam ex illis distributionibus, quæ dari solent iis, qui diuina officia statim horis frequentant. Quotiescumque vero pensio simpliciter in beneficio constituitur, censetur in fructibus tantum, distributionibus exceptis imponi. Quid si beneficium nullos redditus, præter distributiones habeat? Tunc pensio in distributionibus ipsis impostæ censetur, quod ni esset, concessio pensionis vana, & inutilis redderetur.

Decimo octavo quaeritur, An pensiones transactis annis non solutæ pensionario demortuo, debeat heredi ipsius? *Agit de hac questione Gigas de pensionibus, quæst. 52. Et nos supra cap. 3. huius libri, quæst. 8. §. q. 16.*

### CAP. IX.

#### Quomodo pensio in beneficio imponi possit, ac soleat.

Primo quaeritur, An sit iuri consentanea ea clausula, quæ solet in constituendis pensionibus apponi: vt sci-

licet pensio solvatur, habita, vel non habita beneficii possessione? Mandosius *de Signatu. gratia, & iustitia, tit. Pensiones,* arbitrat, pensiones, quæ in beneficiis ultra montes in Hispania consentientibus conceduntur, quam dixi clausulam continere: propter ea quod difficile probari possit, sit necne possessio beneficii apprehensa, & quis verus possessor, quis intrusus debeat iudicari. Quocirca licet beneficiarius possessionem nactus non fuerit, pensionem debet; alioqui nunquam, aut raro solueretur, cum pensionarius certior fieri nequeat, cepetne beneficiarius possessionem. Pensiones vero, *inquit Mandosius,* quæ in beneficiis Italicis imponuntur, hanc clausulam non continent, quia facile pensionarius scire potest, possideat necne beneficium is, qui debet solvere pensionem. Attamen in his quoque pensionibus eadem clausula solet apponi, sed de eius æquitate quidam dubitarunt. Primum, quia *ex l. Si debitor ff. de contrahen. emptione,* qui emit decem mensuras olei ex certo prædico proventuri, non debet eas solvere nisi oleum proauerat. *Et l. Cum certus ff. de triuco, vino, oleo;* si legentur decem amphoræ vini ex certo fundo colligendi, non debentur plures quam colligantur: sed pensio ex beneficii fructibus soluenda est, ergo non debetur ante perceptionem fructuum. Deinde, res promissa vel legata, si pereat sine culpa debitoris, iure ab eo non exigitur. *Inter stipulantem. §. sacram. ff. de verbo. oblig.* sed fructus beneficium, cuius Clericus possessionem adipiscino potuit, videntur periisse sine culpa ipsius. Adhæc, impedimentum eueniens iustam excusationem affert homini, non faciendi id, quod alioqui facere debebat. *cap. communiter, distinct. 3. §. cap. Quomodo modum, de iur. iur. Cur ergo beneficiarius pensionem solvere debeat, cum beneficii possessionem nequeat apprehendere? Videtur etiam clausula illa speciem simoniæ continere: nam si pensio non habita possessione beneficii soluenda est, sequitur, vt ex ipso beneficii titulo debeat, & beneficiarius pensionem solvere ex suo patrimonio cogatur; & proinde videtur esse quædam beneficii nundinatio. Demum, sequeretur inde, vt beneficiarius tamen si nunquam beneficium possideret, tamen singulis quibusque annis solvere pensionem deberet, quod durum profecto videtur esse, ne dicam intolerabile. Quapropter teste Flaminio Parisio *de resignatio. beneficio. lib. 6. quæst. 2. num. 147.* in Rotæ auditorio semper ea clausula mitius & benignius est accepta: scilicet, ne ultra duos vel tres annos protendatur: hoc est, vt beneficiarius ad duos, vel ad tres annos non amplius pensionem soluat, possessionem beneficii minime adeptus. Quid quid sit de Auditorum in Rota sententia; Navarrus *tom. 1. consiliorum, de præben. consil. 50. num. 4.* censet, istiusmodi clausulam, multam habere æquitatem. Nam difficultas rem promissam præstandi, promittentem non excusat. *l. Continuo. §. Cum ita ff. de verb. obligat.* Deinde periculum & damnum, quod quis sua sponte incurrat & sustinet, ipsi imputatur. *cap. Damnum, de regul. iuris in sexto.* sed qui beneficium tali pensione oneratum sponte suscipit, id onus sibi imponit. Præterea, quia euentus quem potuit, ac debuit præuidere, non excusat. *l. Si putator, ff. ad legem Aquiliam;* sed quisque præuidere potest, possit ne beneficii, quod accipit, possessionem nancisci. Postremo licite potest beneficium, cuius redditus annui, sunt 300 aurei, tibi concedi, ea lege, vt quotannis Titio 100. reddas: etiam prius quam eius possessionem consequaris, quoniam etsi nondum fructibus beneficii potiare, ius tamen eos exigendi habes, & spem iis potiundi.*

Neque vero magnum & difficile est aduersariorum argumenta diluere. Primum enim soluendo, dicimus debitorem illum non debere eas solvere mensuras, quas promittit tantum se soluturum ex fructibus certi prædii vel fundi: at vero pensionarius generatim promittit se ex fructibus beneficii pensionem soluturum: atque illi satis est si ius & spem habeat eos percipiendi suo tempore. & hinc etiam facilis aperitur via ad solutionem aliorum argumen-

torum:

torum: sed nihilominus ea clausula benigne ad duos tantum annos, vel tres protenditur.

Secundo quaeritur, An pensionarius sit liber à soluenda omni decima, etiam Papali, collecta, & subsidio quocumque quod solet charitativum appellari? *Gigas quaest. 38. & 59. de pensionibus*, hanc ponit quaestionem: An pensionarius debeat pro rata suae pensionis parte charitativum subsidium soluere, quod reddi solet Episcopo, cum illud imponit, iuxta id, quod habetur in cap. *Conquerente, ad finem, de offic. ordinarii. & in cap. Cum Apostolus, §. dehemus, de censibus? & quaest. 59.* quaerit idem Gigas, An pensionarius pro rata parte pensionis debeat soluere decimam Romano Pontifici reddi solitam, quaestione vero nonagesima quaerit, An cogi pensionarius possit pro rata parte contribuere ad extruendum, vel rescindendum fontem, vel pontem communem, vel ad aperiendas vias, vel muniendas, vel ad instaurantos, vel custodiendos vrbis muros ab hostibus? Et haec quidem ille Actor. Nos igitur, vt satis proposita quaestioni faciamus, ita distinguimus: aut loquimur de pensione, vt solet vsu & more concedi, aut in re communi dari deberet. Primo conferri solet adiecta clausula: [ Sic, vt sit libera ab omni decima, quarta, media, & quavis alia fructuum parte, etiam pro sustentatione classis tritremium, & quocumque alio ordinatio, & extraordinario onere, necnon subsidio charitativo, & quavis alia impositione, etiam pro reparatione, & fabrica Basilicae Principis Apostolorum, Cruciatu Sanctae, & expeditione contra Turcas, aut alios infideles, seu ex quacumque vrgenti, vrgentissima, ac de necessitate exprimens causa, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum instantiam, vel alias etiam defacto impositis, & imponendis, etiam si in impositionibus, huiusmodi cautetur expresse, quod pensionarii quicumque pro rata pensionum suarum quantumvis exemplarum praemissis contribuere teneantur, ] quam clausulam addi solet, testantur *Gigas loci supra citatis, Caccialupus de pensionibus, quaest. 17. Paulus Romanus de pensionibus, quaest. vlt.*

Illud est obseruandum, aliquando Regibus, Ducibus, aliisve Principibus priuilegia concedi, vt ad certum subsidium ipsis concessum contribuere debeant omnes beneficiarii & pensionarii, etiam si beneficium vel pensionem liberam habeant ab omni onere cuiuscumque decimae & subsidii, & cum clausula, vt sint exempta à quocumque onere, nisi expressim mentio fiat oppositi. Quare cum in his priuilegiis clausula continetur, qua pensionarii contribuere cogantur, & ex parte priuilegium quoque pensionis clausulam contineat, qua pensio libera ab omni onere subsidii, vel decimae tribuitur, videndum est, vtrum Priuilegium sit prius altero, quoniam posterius priori derogat. Si loquamur de pensione, vt iure communi concedi deberet, tunc, vt recte ait Gigas, pensionarius pro rata pensionis parte, contribuere & soluere deberet, eo quod pensio ex fructibus beneficii percipitur: at tales fructus non sunt liberi à tribus illis oneribus, videlicet subsidio charitativo, decima Pontificia, & collecta, ad fontem, pontem, & viam communem, & muros vrbis extruendos, restaurandos, vel muniendos. Quia tamen pensio solet tanquam alimentum in subsidium vitae conferri, & causam alimentorum leges & iura pro valde pia habent, ac iudicant, ideo Romani Pontifices pensionariis fauere voluerunt, vt pensionibus gauderent ab omni decimae, collectae, & subsidii onere liberis.

Tertio quaeritur, An in pensionis impetratione facienda mentio sit prioris pensionis in beneficio constitutae? Est communis omnium sententia, mentionem esse faciendam: *Gigas de pensioni, quaest. 29. Cassiodorus decis. 3. de pension. Gambarus de offic. legati lib. 6. qui est de pensionibus, num. 126. & seqq. Mandosius de signatura Gratiae, & Iustitiae, ritul. de pensionibus.* Et hoc locum habet etiam in pensione, quae conceditur alicui causa beneficii per resignationem dimissi: vnde fit vt posterioris pensionis impetratio, prioris non facta mentione, tanquam subreptitia, omni robo-

re careat & firmitate: Pontifex enim non creditur Ecclesiam velle duplici onere grauare. cap. *Mandatum, & cap. Litteris, de rescript. & cap. Duobus, eodem tit. in sexto.* non secus, ac testator non onerat haeredem duplici obligatione. *Titul. instrumentum, §. in vitam, ff. de lega. & l. uxorem, §. in testam. ff. de lega. 3.*

Sed dubium est, An cum is, qui suum resignat beneficium, ignorat bona fide illud alia pensione grauatum, & idcirco nulla facta mentione eius oneris, pensionem in resignatione sibi reseruat, valeat huiusmodi reseruatio? Negat Gambarus illam valere: alii tamen valere arbitrantur, quando beneficium vtriusque pensionis est capax. Si vero prior pensio reseruata, nullus fuerit momenti, aut non constitit in eam beneficiarii consensus, necesse non est eius fieri mentionem.

Sciendum etiam est, Pontificem Romanum pensionem aliquando concedere hac clausula adiecta in resignatione pensionis: *Et alia desuper assignat à pensioni non excedant dimidium partem fructuum.* qua clausula apposita, reseruatio secundae pensionis rata & firma censetur, etiam prioris nulla facta mentione, quia Papa saltem generatim cogitatur: creditur de priori pensione: quod sufficit. *Qui iure militari, ff. de testamento militari.* Pari ratione si prior pensio sit extincta, nulla est opus mentione, quia est onere beneficium liberatum. Ad haec omnia incommoda vitanda, solet pensio imponi cum clausula illa. [ Etiam si super illius beneficii fructibus aliae pensiones annuae, quarum summas, & caetera habere placeat pro expressis, & quae exprimi possint, in literis aliis forsitan assignatae existant: dummodo omnes simul illorum fructuum medietatem non excedant. ]

Quarto quaeritur, Quot, & quas poenas ipso facto beneficiarius incurrat, ob pensionem in beneficio impostam ab eo minime solutam? Notandum ex Gigante, de pensionibus, quaest. 76. in beneficiarium plures poenas constitui debitam pensionem non soluente. Nam & beneficium priuatur, & in excommunicationem incidit, vt propterea merito quaeritur, An in huiusmodi poenam pensionarius incurrat statim, atque pensionem statuto tempore non soluit. Sciendum est, vsu esse receptum, vt pensionario deus regressus ad beneficium, quod per resignationem dimittit, si ei pensio non soluitur. hoc est, datur ei facultas, quas ad beneficium à se dimissum reuertatur: vt *Gigas de pensionibus, quaest. 99. num. 18. Gambarus de officio legati, lib. 6. de pensionibus inscripto, num. 481. & 493. & Redoanus de Simonia par. 2. num. 2. & seq. annotarunt.* Hic autem regressus conceditur in utilitatem & commodum pensionarii. Et in literis Pontificis vbi pensio reseruatur, clausula apponitur haec: *Nec non dicto Titio, vel aliquo ex successoribus in dicto beneficio in solutione dictae pensionis deficiente, seu illam ad minorem summam reduci, vel inualidari petente, &c. licet eidem Caio liberum habere regressum, accessum, & ingressum, illiusque corporalem possessionem per se, vel per alium, seu alios propria auctoritate libere apprehendere.* Sic illa est. Est item hic regressus iuri communi consentaneus, iuxta id quod habetur in cap. *Si beneficia, de praeb. 6. & colligitur ex toto titulo ff. de conditione ob causam.*

Sed nunquid regressus hic etiam conceditur pensionariis, qui vel beneficium per resignationem non dimiserunt, vel lite de beneficio non cesserunt? *Gigas quaest. 99. num. 22.* scribit, duabus tantum ex causis regressum concedi vsu curiae Romanae: videlicet cum quis suum beneficium resignat, vel lite de beneficio cedit. Sed verius est quod refert Mandosius de Signatura gratiae tit. *Regressus, & Redoanus de Simonia par. 2. cap. 19. num. 1.* esse in curia receptum, vt cum beneficium ob obitum beneficiarii conferretur alicui, reseruetur alteri pensio etiam cum facultate ad illud beneficium ingrediendi accedendive; hoc est, illud capiendi, si beneficiarius pensionem soluere recuset. Item, regressus conceditur cum amplissima potestate pensionario: nam datur ei facultas beneficium capiendi propria auctoritate per se, vel per alium, etiam quando beneficia-

ius petierit, vt pensio ad minorem quantitatem redigatur, vel in totum extinguatur, tanquam irrita & inanis. Quid dicendum vero, quando Titius Canonicatum resignauerit, referuatis sibi 24. nummis aureis licet ibi illi ad Canonicatum suum redire resignatorio contentente nullius momenti fuisse pensionem, eo quod Canonice- tas, præter distributiones quotidianas, nullos fructus ferat. Refert Flaminus lib. 6. de resignatio. beneficiorum. quest. 5. num. 8. in Rota esse iudicatum, pensionario facultatem dari beneficii possessionem capiendi, quando Beneficiarius exceperit nullam esse pensionem, & exceptio fuerit facti, non iuris. Vnde quia in prædicta causa resignatarius contemdit irritam fuisse pensionem, quia non in fructibus, sed in distributionibus fuit constituta, quæ exceptio est iuris, cum pensio non solet in distributionibus imponi, nisi id fuerit in litteris expressum, ideo regressus locum non habet. Potest tamen Titius suum beneficium repetere non ratione regressus, sed actione spolij perinde ac si eo spoliatus esset. Dubitatur etiam, An statim atque Beneficiarius pensionem non soluit, vim & locum habet regressus? Negat Gambarus libro citato num. 272. sufficere lapsum temporis, sed necessitatem quoque esse sententiam, qua declaratur tempus præscriptum transisse. Dubium item est, an cum pensionario conceditur talis regressus, requiratur Beneficiarij consensus? Respondent Gigas, Gambarus, & Redoanus locis citatis, & recte, non requiri: quia regressus conceditur in vtilitatem & commodum pensionarij, ac in odium & penam Beneficiarij pensionem denegantis. Hinc est, vt procurator generatim à Titio constitutus ad beneficia cum reservatione pensionis accipienda, ea possit accipere etiam referuata pensione & regressu, quia facit id quod fieri solet. Item ambigitur, quo tempore pensionarij facultatem habens beneficii possessionem capiendi, propterea quod ipsi non fuerit pensio soluta, possit apprehendere? Respondeo, cum Gigante, esse vltu introductum, vt si debitor pensionis lapsis sex mensibus, eam non soluerit intra triginta dies, eo ipso in excommunicationem incurrat, & propterea beneficium amittat: & tunc pensionarij, in ea excommunicatione Beneficiario perseverante, ius habet beneficium capiendi, ita tamen, vt declaret vti se velle iure, quod habet beneficium repetendi, vt est communis omnium sententia. Nam similem penam non contrahit Emphyteuta ob denegatam pensionem, nisi dominus declarauerit velle se suo iure vti, & caduca fuisse emphyteutica bona: ac proinde eo non declarante, & postea moriente, hæredes contra emphyteutam actionem non habent, quia videtur dominus eam remisisse. Postremo dubitatur, An regressus etiam locum habeat contra eum, qui in beneficio pensione onerato successit? Habet, in litteris enim Pontificijs id dicitur aperte. Is item qui subrogatur, sustinet quoque eius onus. Ex his quæ hæcenus diximus, licet intelligere? si Beneficiarius habens beneficium cum onere pensionis & regressus, eam non soluat sex mensibus transactis, & infra 30. dies, aut infra annum moriatur, tunc pensionarium non posse vti facultate, & iure redeundi ad beneficium contra successorem: quia eum non egerit contra, beneficiarium demortuum, cum viueret, eo ipso creditur suo iure cessisse: ac ita definitum esse ab Auditoribus in Rota, testatur Cassadorus Decis. 21. numer. 3. de locato. Quid si referuata sit pensio 100. aureorum cum regressu, & postea fuerit extincta ex parte dimidia: reliquam dimidiam extantem non soluente Beneficiario, ius habeat pensionarij beneficium capiendi? Flaminus libro citato numero. 33. refert in Rota esse conclusum, eum pensionarium ius habere beneficium repetendi, quia cum dimidia pars pensionis debeatur, locum habet regressus: ex equo tamen, & bono sufficeret, si pensio ex parte dimidia soluatur, nec iuris rigorem in hoc esse seruandum.

Quinto queritur, Quænam aliæ clausulæ soleant apponi, cum pensio in fructibus beneficii constituitur? In

primis causa exprimitur, cur pensio referretur: videlicet, quia beneficium quis dimiserit, vel lite de eo cesserit, vel ob merita, & obsequia illius, vel literaturam & doctrinam, vel simile quippiam. Deinde exprimitur etiam fructus, super quibus imponitur pensio. Item, vt soluatur pensio à Resignatario, & quocunque alio, qui ipsi in beneficio successerit: Tum vt soluatur partim in die Natali Christi Domini, & partim in Natali Sancti Ioannis Baptistæ, postea apponitur pena excommunicationis, & priuationis, hisce verbis: *Ac volentes, & eandem auctoritate statuente, quod ille N. vel quicumque alius successor, qui in dictis festiuitatibus, vel saltem intra triginta dies illorum singulas immediate sequentes pensionem prædictam per eum tunc debitam non persoluerit cum effectu, lapsis diebus eisdem sententiam excommunicationis incurrat: à qua donec tibi vel eidem procuratori de pensione huiusmodi tunc debita integre satisfactum, aut alius secum, vel cum dicto procuratore super hoc amicablem concordatum fuerit, præterquam in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium nequeat obtinere. Si vero per sex menses dictos triginta dies immediate sequentes sententiam ipsam animo (quod absit) sustinuerit indurato, ex tunc effluente mensibus eisdem dicto beneficio perpetuo priuatus existat, illudque vacare censatur eo ipso, tibi, licet ad idem beneficium liberum habere regressum. Et liceat tibi etiam vigore tui prioris tui nisi possessione propria auctoritate apprehendere, ac si illud minime resignasset. Ex quibus verbis colligitur, Beneficiarium præscripto tempore pensionem denegantem, ipso facto incidere in excommunicationem, & beneficium amittere. At vero quia huiusmodi penæ Beneficiario irrogantur in commodum, & vtilitatem Pensionarij, eas non contrahit Beneficiarius, pensionario præfixum pensioni tribuendæ terminum prorogante, aut aliquo modo, cum ipso sua sponte conueniente. At contrahit eas penas Beneficiarius etiam nulla præuia monitione: sufficit enim si literæ ei Pontificiæ sint denunciata.*

De more etiam ea apponitur clausula, ( vt pensio soluantur, etiam si nullum ius resignanti beneficium, aut lite de eo cedente conueniat ) necnon, & illa: ( Vt pensio ad minorem quantitatem redigi, aut tanquam irrita, & inanis extingui nequeat ) ex qua fit, vt decrecentibus postea beneficii fructibus, pensio integra debeatur. Nam hac clausula non adiecta, beneficiarius petere posset, vt pensio ex parte minueretur, eo quod beneficii redditus essent longe minores, quam antea. Hæc clausula locum habet, quando exceptio Beneficiarij, qua petit, vt pensio ad minorem summam reuocetur, aut tanquam irrita extinguatur, est facti tantum, non iuris.

## CAP. X.

## Quot modis Pensiones extinguantur.

Pensionem obitu pensionarij extingui, sicut vltum fructum usufructuarij morte, nemo est qui ignoret. Primo queritur, An pensio extinguatur per matrimonium à pensionario contractum? Gigas q. 54. de pension ait vltum Curie Romanæ esse receptum, vti extinguatur: nam etiam si beneficium Ecclesiasticum non sit, eam tamen curia in hac parte, cum beneficio voluit æquari, vt instat beneficii per matrimonium initum pensio quoque finiretur. Et mihi, inquit Gigas questione cit. num. quarto, ipso facto accidit, quia postquam matrimonium contractum, amissi pensiones mihi vti Clerico in minoribus Ordinibus constituto, per se recorda. Clementem VII. concessas. Sic ille. Et necessarium est, vt sit matrimonium verbis presentis temporis contractum. Sicut enim beneficium per matrimonii futuri promissionem non vacat, ita nec pensio finitur.

Quæres, An Clericus, qui matrimonium contraxit, & propterea pensionem amisit, eam recuperet, si sponsa antequam ab eo cognoscatur, se ad Religionem conferat?



Minime, quia ius semel extinctum non reuiuiscit, e. *Quam periculum* 7. q. 1. & eadem ratione beneficium, quod quis per matrimonium contractum amisit, non recuperat: Sed quid si pensionarius Clericus coniugium inierit, quod tamen sit irritum, & inane, an amittet pensionem? Amittet: eodem enim prorsus modo per huiusmodi nuptias pensio extinguitur, quo per eas beneficium vacat. Quando vero per matrimonium initum, sed alioqui irritum, beneficium vacat, suo loco ostendimus li. 7.

Aliquando tamen pensio conceditur cum ea clausula: Ut eam retinere queat pensionarius, etiam si ducat uxorem, dummodo aliquam Religionem militarem susceperit, & professus fuerit: & tunc dubitari potest, an si Titius pensionem cum hac clausula obtineat, & postea professionem in Ordine militari emiserit, non seruata formula Concilij Tridenti: *Sess. 25. c. 15. de Regularibus*, ubi statuitur: Ne quis in qualibet Religione, tam uirorum, quam mulierum, minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur, possit pensionem exigere? Flaminius li. 6. de *resignatione beneficij*, n. 117. testatur esse in Rota definitum, licite pensionem exigi posse, quia in his militaribus Ordinibus, in quibus Milites professi, castitatem tantummodo conjugalem profitentur, ita ut liceat eis nuptias contrahere, Concilij decretum locum non habet, cum non sint simpliciter Religiosi, praesertim; eum in quibusdam Ordinibus eodem simul tempore, & habitu, Religionis suscipiatur, & emittatur professio. cuiusmodi est militaris Ordo S. Stephani à Magno Duce Florentiae institutus: ut habetur in eius statutis fol. 2. ca. 1. Sed quid si miles professus uxorem duxerit, sine consensu totius Ordinis Magistrum, cum tamen in ipsius militiae statutis caueatur, ne quis absque eius consensu nuptias contrahat? Respondeo, aut in ipsius statutis poena decernitur, ut militari priuilegio careat, & hic videtur quoque pensionem amittere, quia militaribus priuilegijs spoliatur: aut alia quaeris poena irrogatur, & hic non videtur pensionem amittere, quia militaribus priuilegijs gaudet.

Secundo quaeritur, An eo ipso quo quis ad Metropolitanam, vel Cathedrali Ecclesiam promouetur, pensionem amittat? Hac de re Gigas q. *quingagesima sexta*, ubi refert Cardinale, Antonium Butrium, Laurentium, Caeciliolum sensisse, eum non amittere, quia pensio non est ecclesiasticum beneficium. Ar uerius est sententia Gigantis, in his Clericis promotis pensionem extingui, nisi fuerit priuilegio Pontificio concessum, ne ea priuentur, An etiam is, qui in Abbatem eligitur, amittit pensionem? At Gigas, eo quem diximus loc. de Abbat. atque Episcopo eandem esse rationem.

Tertio quaeritur, An pensio extingatur per ingressum pensionarij in Religionem? sicut in eo qui solemniter voto (ait Gigas q. *quingagesima septima*) Religionem proficitur saeculare beneficium vacat: sic etiam pensio extinguitur: & sicut ante professionem emissam, beneficium non vacat, capitulo 1. de *regul. in sexto*. Sic etiam pensio non extinguitur.

Quarto quaeritur, An pensio extingatur eo ipso, quo Clericus miles efficitur? Gigas q. 55. respondet, eodem modo per militiam pensionem extingui, quo per eam beneficium vacat. Vnde sicut Clericus militiam amplexus, & monitus, ut eam derelinquat, ni pareat, beneficium amittit, ita etiam pensionem, quia tunc priuilegio clericorum priuatur, eo quod beneficium, & ecclesiam pro derelictis habuisse videatur.

Quinto quaeritur, An pensio, cum ad alium transfertur, extinguitur? Communis est opinio, eam extingui: quoniam quandocumque transfertur, finitur antiqua, & noua constituitur pensio.

Sexto quaeritur, An pensio sola pensionarij voluntate ad tempus, vel in perpetuum remitti queat absque illo Pontificis consensu? Respondeo, cum Gigante q. 45. n. 5. & Gomezio in *Reg. de infirmis resignantibus* quasi. 17. & Paul. Rom. quasi. 8. de *pensionibus*. & Card. cap. *Agatho* 1. quasi. 6. & Na-

uarro in *biannual. cap. 23. num. 3* posse, quidquid dicat Gambard. lib. 6. de *offic. Legati. num. 61*, nam quamuis beneficium Clericus dimittit et nequeat propria auctoritate, cap. *Admouit. c. 6. Quod in dubio, de renouatione*. potest tamen pensionem. Ratio huius est, quia cum beneficium dimittitur, vacat, quod Ecclesiae nocere potest: at vero cum pensio dimittitur, non propterea vacat, sed extinguitur, quod beneficium, & Ecclesiae potius prodest quam noceat: sic etiam beneficium liberatur ab onere, & seruitute, qua tenebatur. Deinde, paritate patronus potest propria auctoritate se iure patronatus abdicare, eo quod liberam eo ipso Ecclesiam dimittit. Item, pensio est in beneficio constituta in utilitatem, & commodum pensionarij: ergo potest ipse pensionarius suo commodo, & iure cedere. Sed est animaduertendum, in Concilio Tridenti, *Sessio vigesima prima, capitulo duodecimo, de reformatione*. esse constitutum: ut si quis ordinetur ad titulum pensionis, non possit eam postea sine consensu Episcopi alienare, extinguere, aut remittere, donec Ecclesiasticum beneficium sufficiens habeat.

Si quaeras, An pensio minui queat solo pensionarij consensu absque ulla Romani Pontificis auctoritate? Potest: quia sicut ex toto pensio potest remitti voluntate sola pensionarij, sic potest ex parte remitti, quod est minui: item quia eo ipso quo minuitur pensio voluntate pensionarij, minori onere Beneficium grauaatur.

Septimo quaeritur, An pensio extingatur, pensionario obtinente beneficium, in quo fuerat ei pensio reueruata? Hanc quaestionem Gigas q. 49. de *pensionibus*. pulchram appellat: de qua, inquit, *fuit alius interrogatus in hac urbe Veneta*. Et certe non parum refert, extingaturne pensio, An potius cum ipso beneficio consolidetur, ut solet usufructus cum proprietate aliquando confundi. Quoniam si pensio extinguitur, nunquam amplius reuiuiscit, nisi legitima Superioris auctoritate denuo conferatur. Sicut quia beneficium per matrimonium contractum amittitur, c. 1. de *Cler. conug.* postea nunquam amplius recuperatur, etiam si sponsa ante maritalem congressum ad Religionem se transferat: ita pensio quoque semel extincta non redit. Si uero pensio dicitur cum beneficio consolidari, tunc quamdiu consolidata est, sopita tantum, non extincta censetur: ac propterea etiam si pensionario qui est assecutus beneficium, in quo erat ei pensio reueruata, ipsum beneficium auferatur: non auferatur tamen ius, & potestas petendi pensionem à beneficij possessore.

Ad hanc igitur quaestionem ipse Gigas ita eum distinctione respondet: Si pensionarius, inquit, qui est adeptus beneficium oneratum pensione sibi debita, illud dimittit ex causa necessaria: ut puta, quia alter in illo potius ius habens, intenta ei lite illud obtinuit, & quasi euicit, tunc pensionem potest exigere ab eo Beneficiario, ut prius exigebat, quemadmodum idem iuris habet usufructuarius, ut colligitur ex l. *Si maritus*, C. de *inoffic. test.* & l. *Dominus*, ff. de *usufructu*, & quemadmodum quis utatur, ubi sic est: Si usufructuario fundi proprietatis per dominum legata fuit, & dominum usufructuarius illum fuit contractus restituere, tanquam ad alium pertinentem, uidelicet ad eum qui agit querela inofficis testamenti, & obtinuit: tunc usufructus manet apud usufructuam proprietatem, apud quem prius fuerat. Haece ibi. Si uero pensionarius beneficium sua sponte dimittit: tunc pensio apud eum non remanet, sed potius extinguitur, quoniam in simili etiam articulo, & casu usufructus extinguitur, non consolidari cum proprietate intelligitur. In l. *Cum filius*, §. *Dominus*, ff. de *legatis* 2. ubi habetur: Si Dominus fundi, cuius usufructus alterius erat, illum usufructuarius suum, uniuersalem heredem instituat, & illum fundum pura Titio legat, haeres usufructu non retento, legatario consignare debet. & l. *Si tibi fundi usufructus*, ff. *Quib. modis usufructus amittatur*, statuitur: Si testator uni usufructum pure, alteri uero proprietate sub conditione legat: ut puta si nauis ex Asia uenerit, & usufructuarius conditione pendente proprietatem dominum adquisierit: deinde extiterit conditio: si pleno iure fundus illius erit, cui legatus fuit.

fuit neq. inter est, quod detractio usufructu proprietatis legata sit: quia usufructuarius factus dominus proprietatis, omne ius legati usufructus amisit. Sic ibi. Similiter quoq. si creditor instituat heres a suo debitore, aut contra debitor a creditore: statim atq. hereditatem alteruter adierit, obligatio cum hereditate confunditur. l. Si fructum. §. Aditio. ff. de solutioni. vbi dicitur: Aditio hereditatis nunquam iure confundit obligationem: veluti si creditor debitoris, vel contra, debitor creditoris adierit hereditatem. Ita lex. Item, si testator Titio rem alienam leget, & ipse Titius legatarius viuo testatore, illius rei dominus fiat iure donationis, eius actio extinguitur, ita vt ab hærede eam repetere possit. l. Marius §. duorum. ff. de leg. secund. Et Inst. de legat. §. Si res aliena. Item si fideiussor debitoris heres extiterit, pro quo se solum creditoris promissit, ab obligatione liberatur. leg. Stylius. §. Quod vulgo in status. ff. de solutio.

Octauo queritur, An pensio Titio reseruata extinguatur statim atque aliud beneficium fuerit assecutus? Minime, vt recte ait Gigas q. 50. quia pensio simul cum beneficio haberi potest: non enim Canones iurave prohibent, quominus vtrumque simul habeatur, quia pensio, vt sæpius diximus, beneficium Ecclesiasticum non est.

Nono queritur, An pensio Romani Pontificis consensu redimi per Beneficium possit, pensionibus anticipatae solutis? Ratio dubitandi est, quia hæc redemptio pensionis videtur Simonie vitium continere: nam quæsi ea licita est, cur non tuta conscientia possit quis se beneficio abdicare ea conditione, vt ipsi in eo certa pensio referretur, & insuper, vt ea pensio pretio anticipato solvatur, seu redimatur: quod qui faceret, beneficium ipsum vendere merito crederetur. Nam quando ita tuum beneficium Titij gratia deponeres pacto cum co inito, vt tibi pensionem decem annuorum aureorum quotannis soluendam redimam septuaginta aureis statim solutis, perinde esset, ac si dares illi beneficium pretio septuaginta aureorum recepto. Hanc questionem tractauit Gigas quest. 87. de pensio. Gambarus li. 6. de off. Legati. num. 123. vbi omnes affirmant hanc pensionis redemptionem, auctoritate Rom. Pontificis factam, liberam esse ab omni Simonie labe: quod Gigas multis argumentis conatur ostendere.

Sed nobis vnus sufficiat Romane Curie vsus. Potro, sicut Platina, Paulus I. L. hunc redimendam pensionem vsum approbauit. Ceterum non solent Romani Pontifices pensiones reseruare dimittentibus beneficia, & hanc simul facultatem concedere, vt ipsis pensiones ex toto soluantur anticipatis solutionibus, sed pensionem simpliciter reseruant, & postea seorsim, ac diuisim faciunt liberam potestatem, & optionem, vt qui annuam pensionem debet, eam redimat anticipatis solutionibus. Teste etiam Gigante, solet pensio redimi anticipatis quinque solutionibus, vel sex, vt summum, septemue, considerata pensionarij ætate: sic enim quoque is, qui alicui annua debet alimentaria, solet ea redimere. Ita ille Auctor.

Decimo queritur, An sine auctoritate Rom. Pontificis, pensio anticipatis solutionibus redimi queat? Caietanus tom. 1. Opusculorum tract. 31. in Responsione 10. affirmare videtur, quamuis id non explicet: quoniam solum ait, redimi posse pecunia pensionem sine vlla Simonie labe: quia pensio, inquit, est quid temporale, profanum, videlicet fructus qui quotannis ex beneficio debentur, & solvantur. Item, quia fas est futuros beneficij, vel pensionis fructus ad certum tempus locare, & vendere, nisi lex scripta prohibeat: ergo futuras pensiones licet vendere, & emere, cum id nulla lege scripta sit vetitum. His accedit, quod pensio conceditur tanquam alimentum in subsidium vite: sed is, cui annua debentur alimenta, potest anticipatis solutionibus ea vendere, & is qui debet illa redimere.

Hæc sententia mihi non placet, quia licet pensionis fructus sint quid temporale, at ius exigendi fructus ex beneficio alterius, est ius quoddam spirituali annexum, ergo fructus locari, & vendi possunt, ius tamen ipsum nõ item.

Vnde Maior in quarto, dist. vigesima quinta, questio. quinta negat id licitum esse, quia pensio, inquit, non est annua fructuum portio quæ soluitur, sed ius exigendi eam: hoc autem ius rei est spirituali annexum, quia non nisi Clerico, ex Superioris auctoritate confertur. Sotus vero libro nono, de iustitia, questione septima, articulo secundo, ita distinguit, Aut pensio datur loco tanquam laboris merces, & ministerij, & opera stipendium: & hæc pensio redimi potest absque Romani Pontificis consensu, quoniam totum hoc ius est profanum, & temporale. Aut pensio datur loco beneficij, vt puta, cum quis suum dimittit beneficium, vel lite de eo cedit, vel vt habeat, quia Clericus est, vade commode sustentetur, vel cum alicui Beneficiario datur adiutor: & hæc pensio cum in locum beneficij subrogatur, est spiritualis, ac proinde pecunia redimi nequit. Sed hanc profecto questionem rectius mea sententia solunt, Gigas de pensio. questio. 87. numero quinto, & sexto. Gambarus, & Paulus Romanus, apud Gigantem loco citato. Simpliciter, aientes, pensionem sine Pontificis Romani consensu redimi non posse: tum quia pensio sit ius quoddam quasi spirituale: tum quia Curie Romane vsus obseruat, vt non nisi Romani Pontificis assensu redimatur, vsu vero id merito introductum est, ad omnem Simonie speciem euitandam: alioqui enim ipsa beneficia venalia redderentur. Hinc fit, vt qui priuato iure, & auctoritate pensionem redimit, peccet quidem, & puniri merito queat: Sed in Simonie penas non incidat, in quas nimirum incidunt, qui beneficium pecunia permutant.

Vndecimo queritur, An pensionarius, sine vlla Superioris auctoritate queat futuros suæ pensionis fructus ad tempus, vel ad totum vite suæ cursum locare, vel vendere anticipatis solutionibus? Ratio dubitandi est, quia si hoc licite potest facere, poterit etiam cum Beneficiario pacisci, vt is redimat pensionem anticipatis solutionibus: quod tamen questione superiori negauimus. Respondeo, secundum conscientiam, & ius commune posse, nisi vsus Romane Curie obsterit, & forense iudicium: nec enim tunc ius pensionis venditur, nec ad alium transfertur, sed solum futuri pensionis fructus locantur, aut venduntur: ita vt is, qui conducit, vel emit, pensionarij nomine, non suo exigat. Sicut usufructuarius quamuis apud se retineat ius, potest alteri locare, & vendere fructus, & penes vnum potest esse ius pensionis, vel usufructus, & penes alterum emolumentum, & commodum. At vero Beneficiarius, qui pensionem debet, eam redimere anticipatis solutionibus, sine Rom. Pontificis facultate non potest: tum quia emit ius ipsum pensionis, & non solum fructus: tum quia id verat vsus Romane Curie, ac proinde Simonie speciem talis redemptio haberet: secus est, cum alteri futuri pensionis fructus locantur: in iudicio tamen talis locatio, vel venditio suspecta iudicabitur, nisi contrarium appareat certo, & euidenter, vel ad tempus, vel in perpetuum.

## CAP. XI.

## De facultate transferendi pensionem ad alium.

Primo queritur, Quid sit translatio pensionis, & an transferri ex vno ad alium possit? Gigas questione duodecima, de pensionibus, num. secundo, de pensionibus, ait transferri non posse, quia non est perpetua, sed pensionarij morte finitur: at vero beneficium, cum sit perpetuum, obitu Beneficiarij vacat, non extinguitur, ac ideo ad successorum transit. At quidquid sit, de hoc vsus Romane Curie habet, vt pensiones transferantur ex vno ad alium. Nam pensionario datur facultas pensionem ad alium transferendi. Nihilominus dicunt Curiales, cum pensio transfertur, antiquam extingui, & nouam alteram constitui: ita vt translatio pensionis plurimum differat à translatione beneficij: quod hoc, cum de vno Beneficiario ad alium

transfertur, non extinguitur: at in translatione pensionis, prior illa, & antiqua semper extinguitur, & noua erigitur, & imponitur. Sic *Gigas de pensionibus, quæstion. 88. numer. 8.*

Sed quidquid sit de hoc, videlicet, an in translatione pensionis semper sit prioris extinctio: Translatio pensionis, est mutatio obligationis, ex vno ad alium, vnde sicut is qui beneficium alterius gratia dimittit, suo iure cedit, ita ut ius in beneficio dimisso amplius non habeat: sic Pensionarius in pensione ad alium translata ius non habet. Porro translatio pensionis odiosa censetur, ut ait *Gomezium in Regul. Cancell. de infirmis resign. q. 6.* nam per translationem pensionis prorogatur seruitus beneficii.

Secundo queritur, An pensio transferri queat absque Rom. Pontificis auctoritate? Respondeo, minime, quia pensio, est onus, & seruitus in beneficio constituta, at beneficia seruitute onerare, sine Rom. Pontificis consensu non licet. Item, nouam pensionem in beneficijs imponere solus Papa potest, ergo eius solius est antiquam prorogare: præsertim cum in translatione pensionis prior extingui, & noua creati, & erigi à Pontifice dicatur. Cum autem translatio pensionis odiosa sit, ut diximus, quippe que beneficium onere, & seruitute diu grauet, ac premat: hinc factum est, ut quidam Romani Pontifices difficile, & merito quidem, facultatem concesserint transferendi pensionem. Leo certe Decimus, *iste Gigas e qu. duodecima nu. secundo*, passim hanc facultatem dabat: Clemens Septimus, rarius: deinde vero Paulus Tertius, & Pius Quartus rarissime hanc faciebant potestatem: Gregorius Decimus Tertius, & Sixtus Quintus, solis Cardinalibus, & viris de se de Apostolica, & Ecclesia bene meritis tribuebant. Neque vero quauis ex causa, hæc potestas dari solet: potissimum conceditur ex resignatione beneficii. Cum enim Cardinalis se abdicat Episcopatu, de more ei pensio reseruat mille aureorum, cum facultate transferendi dimidiam partem, videlicet quingentorum aureorum: non enim conceditur, ut possit totam pensionem transferre, sed tertiam duntaxat partem, vel dimidiam, *Auctore Flaminio ex Mandato libro sexto, de Resignatione beneficio. qu. 4. num. 24.*

Ex his intelligitur pensionarium propria auctoritate donare alteri non posse pensionem suam, hoc est, ius quod habet exigendi fructus ex beneficio alterius: quamuis donare alteri queat fructus futuros pensionis per totam vitam suam: quia tunc non donat ius, sed fructus futuros; & penes donatarium non est, ius exigendi fructus, sed penes pensionarium. Ita ut donatarius nomine pensionarij fructus exigat, & percipiat. In foro exteriori talis donatio fructuum censetur translatio pensionis ad alterum: & proinde rata non habebitur, tanquam facta sine Rom. Pontificis auctoritate: sicut locatio fructuum futurorum ad vitam pensionarij, iudicabitur in eodem foro venditio pensionis, hoc est, iuris exigendi fructus, sine Papæ consensu, ut dixi capitul. superiori quæst. undecima, ad finem.

Tertio queritur, Quot modis fieri solet potestas transferendi pensionem? Duob. modis, ait *Mandofius in tract. de Signatura gratia, in titulo, Translationes pensionum.* Primo quidem modo obrenta facultate transferendi in ipsa pensionis impetratione, cum Pontifex simul alicui pensionem reseruat, & facultatem transferendi concedit.

Altero modo, cum pensio absque vlla facultate transferendi assignatur alicui, sed deinde Titius pensionarius, & Caius beneficiarius debitor pensionis, petunt à Pontifice, ut annua pensio, quam Caius Titio soluit, extingatur, & Seio reseruetur, & non aliter. Tunc ergo concedit Pont. ut pensio Titio non amplius soluarur, sed Seio, & tunc Curiales afferunt, pensionem priorem, quæ Titio soluebatur, extingui, & nouam constitui Seio soluendam.

Refert *Flaminus libro præfato, numero septimo*, priuilegio Pontificio multis esse concessam facultatem transfe-

rendi pensionem vsque ad certam aureorum summam: *Qualem*, inquit, *habent milites Sancti Petri, quorum Collegium est à Leone Decimo, creatum: hi si quidem habent facultatem transferendi pensionem vsque ad summam centum ducatorum Cameralium.* Item milites Sancti Pauli à Paulo Tertio creati, priuilegio possunt transferre pensionem ducentorum ducatorum Cameralium. Milites quoque Pij nominati, à Pio Quarto constituti, possunt priuilegio transferre pensionem vsque ad summam centum & quinquaginta ducatorum Cameralium. Milites Laurentiani à Sixto Quarto instituti, possunt transferre pensionem vsque ad summam ducentorum ducatorum Cameralium.

Quarto queritur, An qui habent facultatem ad alium pensionem transferendi, eam possint in quoslibet transferre? Minime, nisi in eos, qui sunt alioqui idonei, & capaces. Non enim transferre eam possunt ad Laicos, ad Hæreticos, Impuros, & alios huius factionis hominis: de quibus supra est dictum à nobis suo loco.

Quinto queritur, An habentes prædictam facultatem possint pensionem non solum ex toto, sed etiam ex parte, & non tantum ad vnum, sed etiam ad plures transferre? Respondeo, in usu esse, ut facultas detur transferendi pensionem ex toto, vel ex parte, & ad vnum, vel ad plures, ut ait *Flaminus loco citato nu. 19. & Gigas q. 86. de pensionibus num. 1.*

Sexto queritur, An gaudens illa facultate, pensionem possit ad filium transferre: hanc quæst. diluimus, supra hoc li. c. septimo, q. septima.

Septimo queritur, An qui cum ea facultate transferret pensionem ad alium, v. g. Titium, cum primum fuerit clericorum tonsura initiatus, eam possit exigere ante conditionis euentum? Huic quoque quæstioni satis iam fecimus in superioribus hoc eo. li. c. 7. q. 9.

Octauo queritur, An sine consensu Beneficiarij habentis beneficium pensione oneratum: possit pensionario concedi facultas transferendi pensionem? Potest, sed cum Romani Pontificis auctoritate, alioqui minime: nam, ut ait *Flaminus n. 24. libri præallegati*, supra dictis m. lib. data est potestas transferendi pensionem sine consensu eorum qui eas quotannis persoluant. Item, sicut Rom. Pont. potest pensionem nouam imponere sine consensu Beneficiarij, ut tradit *Gigas de pensionibus. q. 83. nu. 9.* sic etiam facere potestatem transferendi. At vero cum Pont. resignantibus beneficia, pensiones reseruat, & facultatem transferendi concedit, id non facit, sine resignatarij consensu, siue ipsam concedat simul cum reseruacione pensionis, siue seorsum, ac diuisim: & hic resignatarij consensus præstari potest per procuratorem, qui etiam post obitum domini potest suum præstare consensum. *Cassad. decis. 1. de renunc. Mandof. de Signatu. tit. translationes, vers. si. Quærebatur. Flaminus li. cit. n. 26.*

Nono queritur, An ad huiusmodi facultatem obtinendam sint omnino necessariz litteræ Pontificiæ? Sunt necessariz, ita vt expressim in eis de ipsa facultate transferendi constet: secus, minime data censetur. Nec sufficit, si alicui potestas fiat retinendi pensionem, quam alioqui amississet: vt cum quis ad Ecclesiam Cathedralis promotus: non enim idem est priuilegium retinendi pensionem, quod transferendi.

Decimo queritur, An eadem gaudens facultate, quolibet tempore possit pensionem transferre? Potest tum in infirmitate constitutus, & articulo mortis extremo, tum extra. Vnde *Gomezium in Regula Cancellaria de infirmis resignanti quæstione 16.* & *Mandofius eadem Regula, quæst. undecima*, docent, eam Cancellariæ Regulam de Beneficiarijs infirmitate resignantibus locum non habere in pensionarijs in mortis articulo transferentibus pensionem.

Vndecimo queritur, Coram quibus præfatam habentes facultatem transferendi, ea vt possint? Respondeo, cum à Romano Pontifice litteræ dantur, in quibus transferendi pensionem facultas conceditur, clausulâ apponi solitâ esse. *Vt pensio transferri queat coram Ordinario, aut alio quo-*

cumque in dignitate Ecclesiastica constituto, vel Canonico eiusdemque Ecclesia Metropolitana, vel Cathedrali. Imo sunt à memoratis militibus n. 4. concessum est, vt possint transferre pensiones coram persona in Ecclesiastica dignitate posita, & coram Notario & testibus.

Duodecimo queritur, An quando legitima cum facultate pensio transferatur, debeat de ea translatione certior fieri Beneficiarius qui eam soluit: Respondeo intra tres menses eum esse monendum, etiam si ad absentem pensio transferatur: hoc enim vsus obseruat, teste Cassandro dicitur. 10. de reser. & Gigante de pensionibus q. 2. n. 2. Quod si pensio translata in pluribus beneficijs fuerit imposita, is ad quem transferatur, ius habet pro rata portione, ex singulis beneficijs eam exigendi.

Decimotercio queritur, An quando pensionarius, qui percepturus erat pensionem in Natali Domini, obiit in mense Septembrii, fructus illius pensionis pro rata quantitate, pertineant ad heredem pensionarij demortui, an ad eum, ad quem est ante obitum ipsius pensionarij translata? De hac questione agit Caccialupus de pensionibus quest. 25. & Gigas quest. 53. & nos etiam supra ex parte diluimus, cum de spolijs Clericorum ageretur. Et quidquid dixerint supradicti duo Auctores, esse Flaminio de reseruat. libr. 6. quest. 4. num. 47. & 48. In Rota saepe iudicatum est dictos translatae pensionis fructus non esse diuidendos inter heredem pensionarij, & eum, ad quem est pensio translata, sed eos huic posteriori deberi.

Decimoquarto queritur, An is qui pensionem ad alium transfert, tuto possit pro ea translatione pecuniam accipere? De hac questione Gigas questione 99. de pensionibus tractans, in vtramque partem argumenta proponit, & tandem concludere videtur nullum Simoniacum crimen admittit eum, qui sic pensionem transferat: quoniam pensio, inquit, est ius temporale, profanum, non spirituale.

Nec obstat, air ille, si cum pensione transferatur quoque regressus ad beneficium: quia vt ius patronatus transit ad alium cum vniuersitate rei, quae venditur, ita & regressus ad beneficium per se vendi non potest: transferatur tamen cum pensione, quae licite venditur. At enim non videtur id esse licitum, quia etiam si quis legitimam habet facultatem transferendi pensionem, non tamen ius eam vendendi: neque enim transfert ad alium rem patrimonij sui, sed pensionem tantum Ecclesiasticam, quam simul cum potestate transferendi habet à Pontifice, ac propterea transferre non ordinaria, sed commissaria, & delegata sibi potestate: non est tamen ei data potestas recepta pecuniam transferendi. Secus est, cum pensionarius locat, vel vendit futuros pensionis fructus etiam ad totum suae vitae tempus: quia tunc non vendit ius pensionis, sed tantum fructus pensionis: vt dixi e. supradicti. q. 11. & in hoc e. qu. 2.

## CAP. XII.

Quid iuris, & oneris pensionarius habeat in pensione.

Primo queritur, An soluere pensionarius debeat Annatam? Debet soluere: sic enim vsus obtrinit, quem admodum & Beneficiarius, sed vt ait Gigas de pensionibus. qu. 26. nu. 2. quemadmodum cum beneficij redditus 24. duccatorum Cameralium quantitatem non excedunt, Beneficiarius Annatam non debet: ita ex pensione, quae dictam quantitatem non superat, Annata non soluitur. Sed in hac parte vsus Curiae Romanae seruandus est.

Secundo queritur, An pensionarius officij diuini preces recitare cogatur? Constans est omnium opinio, vt patet ex Gigante q. 30. de pensionibus, ad id nullo iure compelli. Extat nihilominus Constitutio à Pio V. edita, hoc initio: Ad perpetuam rei memoriam, ex proximo Later. Concilio, & habetur apud Nauarrum in Manuals, cap. 25. nu. 122. vbi Pontifex, postquam praecipit, vt Beneficiarius, qui horas omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur, dimittat: qui veto Matutinum tantum, dimidiam: qui

caeteras omnes horas, alteram dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem dici amittat: ad finem subiicit haec verba: Quicumque pensionem, fructus, vel alias res Ecclesiasticas, vt Clericus percipit, eum modo praedicto ad dicendum officium paruum B. Mariae Virginiae decernimus obligatum, & pensionis fructuum, rerumque ipsarum amissionem obnoxium. Haec ibi: Quae Constitutio pensionarios tenet ac ligat.

Tercio queritur, An pensionarius tura conscientia queat pensionem exigere, sine literis Pontificijs expeditis? Respondeo, minime: quoniam sicuti impetrato beneficio à Rom. Pontifice, possessio sine ipsius literis apprehendi non potest: ita post pensionem impetratam, necesse est, vt expendantur literae Pontificiae, & soluat pensionarius minister Pontificijs in Curia laborantibus, quod de more solentur, hoc enim Curiae Rom. vsus obseruat, quamuis pensio beneficium Ecclesiasticum non sit. Gigas de pensionibus q. 34. scribit literas Pontificias ad substantiam gratiae Apostolicae non pertinere, sed solum ad probationem in iudicio, & id ostendit auctoritate Felini, Cardinalis, Gomezij & Cassadori: sed quidquid sit de alicuius gratij impetrata à Papa, & quidquid sit de iure, Curiae Romanae vsus habet, vt pensio exigi non possit sine literis Pontificijs.

Quarto queritur, An pensionarius id quod sibi ex pensione superest, debeat lege iustitiae in pios vsus impendere? Nauar. de redditibus Ecclesiae q. 1. n. 74. & in Apolog. contra Sarrmentum q. 1. monit. 32. cum pensionarium, tum Beneficiarium ad id esse compellendum sentit: quoniam pensio, inquit, est quaedam portio ex beneficij fructibus detracta: sed fructus beneficiorum, cum hoc onere ad quoslibet perueniunt, vt quidquid ex ipsis superfuerit, in pios vsus erogetur.

Caeterum durissima videtur haec Nauarri sententia, & oppositum censet Gigas de pensionibus q. 2. Couar. de testam. e. Cum in officio. nu. 6. Alexander Caccialupus, citans à Gigante, Paul. Rom. de pensionibus q. 8. vers. 1. Ecclesiasticam pensionem Redoan. de spolijs Clericorum q. 5. §. 1. n. 27. & 28. & §. 9. quia dicendum, n. 7. & sag. Nauar. quidquid sit de Beneficiarijs, de quibus suo ioco diximus, pensionarius id facere nullo communi Canonico iure compellitur: quoniam pensio datur tanquam alimentum vitae necessarium, non ratione ministerij alicuius spiritualis; quod si quid ex hoc alimento sibi concessio superfuerit, ipsi acquiritur, & nulli alteri iustitiae lege debetur.

Quinto queritur, An pensionarius de pensionis fructibus possit dum viuunt, suo arbitratu statuerere, ac dum tenetur morbo testari? Duas inuenio opiniones, quarum vna affirmat, quae placuit Giganri de pensionibus q. 52. & Couar. de testam. e. Cum in officio. n. 6. ad fin. & in hac quoque sententiam citat Gigas q. 52. Alexandrum & Caccialupum. Altera opinio negat, quam defendit Nauar. in tract. de redditibus Ecclesiae q. 1. n. 74. & in Apolog. q. 1. monit. 32. & sequitur Sarrmentus de redditibus Ecclesiae par. 3. c. 5. nu. 7. sed prior sententia probabilior videtur, quia Canones & Iura Beneficiarijs solis id facere vetuerunt, tum etiam quia pensiones dantur, vt vitae alimenta, vt habeant se, pensionarij vnde sustententur. At pensiones, dicit aliquis, ex beneficiorum fructibus percipiuntur, ergo perueniunt ad pensionarios cum eodem onere, quod habent in Beneficiarijs. Esto: sed hoc tamen nihil impedit, quia pensionarius non percipit pensionem ratione & iure Ecclesiae cui inferuiat, sed vt portionem quandam ad vitam sustentationem necessariam.

Sexto queritur, An pensio simul cum beneficio haberi nequeat? clarius, An sicut vnum beneficium simul cum alio haberi iure nequit, sic & pensio cum beneficio? Respondeo, Beneficiarijs iure communi esse interdictum, ne quis cum vno beneficio simul alterum habeat: non tamen vt cum beneficio pensionem obtineat.

Septimo queritur, An tura conscientia quis possit plures simul pensiones habere? Non est omni ex parte ratio eadem de pensionibus, quae de beneficijs: in his enim quaedam sunt, quae Canones & Iura, incompatibilia vocant, in

illis vero nulla pensiones Iure communi incompatibiles dicuntur. Sed viz quaestio in eo consistit, An cum iure naturali, & recta ratione pugnet, ut quis plures simul pensiones habeat, cum earum una sufficiat eius vitae commode sustentandae. Quia in re, meo iudicio, id eum recta ratione videtur dissentire: Namque ut non semel à nobis superius est dictum, pensio datur, ut vitae alimentum: ergo si una sufficiat Clerico, quo iure illi præbetur altera? quæ si præbeatur, habebit ille proculdubio alimentorum tantum, quantum pluribus sustentandis sufficiat, quo fiet, ut unus quidam cluatur, alter vero ebrius sit, quod Paulus in Corinthijs minime probabat. Neque tamen negamus, vni plures posse pensiones assignari ob eius merita, videlicet ob literarum generis nobilitatem, insignem vitam, & morum probitatem, & ob multa, & magna in Ecclesiam Romæ merita, atque adeo ob plura in Rempublicam Christianam beneficia, vel ob alias personæ dotes.

Octavo quaeritur, An beneficium possit cum pensione permutari? Respondet communis omnium opinio, non posse, quoniam pensio, Ecclesiasticum non est beneficium: hoc autem cum solo potest beneficio commutari. Gigas qu. 33. de pensionibus. Cardinalis, Imola, Felini, & aliorum seculus sententiam, docet ideo cum pensione beneficium permutari non posse, quia pensio est quid temporale, & profanum. Verum hoc omisso: asserimus, beneficium simpliciter permutari non posse, quia etiam cum iure ad beneficium, quale ius dat regressus, vel electio, vel nominatio à Patrono facta, beneficium nequit permutari: vnde etiam si pensionarius habeat potestatem à Rom. Pont. transferendi pensionem: non tamen eam cum beneficio permutandi, quia ius non habet in beneficio.

Nono quaeritur, An qui est excommunicationis vinculo obstrictus, solvere pensionem debeat? Ratio quaestiois est, quia Beneficiarius donec ita irretitus maneat, beneficij fructus non percipit. ut indicat c. Pastoralis, prope finem, de appell. Et docet Innocent. ibid. Et Glossa in e. student, distinct. 50. Archid. in e. Adhuc, distinct. 32. Et Hostiensis in summa. tit. de sent. excom. §. Quis sit effectus, circa principium: sed pensio debet ex fructibus, ergo qui fructus non percipit, pensionem non debet. Respondeo, eum scilicet excommunicatione affectum, minime excusari à pensione solvenda, nam ut ait Bart. à Gigante nominatus, in q. 64. n. 4. Sacerdotes, qui excommunicati fructus beneficiorum non percipiunt, debeat censum solvere, quia onera sustinere coguntur, tametsi commoda non percipiant. Sicut, inquit idem Bartolus, qui sua culpa sunt ab urbe eiecti, quamvis suorum bonorum fructus non capiunt, debent nihilominus onera solvere. Nec dissentit Baldus, eodem teste Gigante, dicens: Si nobilis ob delictum nobilitatis privilegium spoliatur, debet nobis hominibus onera sustinere, & solvere collectas quas ceteri nobiles solvere coguntur. In his enim ac similibus sententia nocet quod pertinet ad eorum commoda, non tamen onera.

Decimo quaeritur, An Ecclesia, in cuius fructibus est annua pensio constituta, si vacat, debet pensionem solvere, ut cum eius Rector est à Paganis, vel hostibus captus? Respondeo, eum Gigante q. 65. n. 1. Et si q. in litteris Pontificijs, de more hanc clausulam poni: (Pensionem annuam 20. ducatorum auri de Camera super fructibus, redditibus, & proventus Ecclesie talis per Titium, vel eius Rectorem moderatum, & successores suos in dicta Ecclesia annis singulis persolvendam.) Ex quib. verbis intelligitur, successores in beneficio, in quo est pensio constituta, eam solvere debere, quia est onus impostum beneficio. Ex quo etiam fit, ut ecclesia vacans; si per economum, vel curatorem, vel alium administratorem regitur, is curare debeat, ut pensio solvatur.

Vndecimo quaeritur, An pensionarius, cui est referuata pensio libera ab omni onere, solvere debeat, si aliquid onus insolitum, & extraordinarium imponatur? Gigas qu. 66. id negat: quia teste, inquit, Bartolo, quando cumque clausula casus aliquos fortuitos excipit, & postea generatim dicitur (Et quoscumque alios) intelligitur excipere alios similes expressis non grauiores: eo quod grauiora non vi-

deantur in mentem venisse eis qui contraxerunt. Idipsum docuerunt Angelus, Baldus, Paulus, & ceteri Iuriconsuliti, quos ibidem refert Gigas: Ita ut qui promittit se soluturum impensas, solvere solum debeat consuetas, & moderatas. Verum utcumque se res habeat, in litteris sane Pontificijs ideo hæc solet clausula apponi, ut pensio libera sit à quolibet onere, etiam extraordinario atque insolito.

Duodecimo quaeritur, An Clericus, qui facilius beneficij obtinendi causa, promittit se maiorem pensionem soluturum, quam ferre beneficium queat, tutus sit in conscientia? Minime: quia in cap. Cum Clerici, de pactis, statuitur: ut Clerici, qui maiores solito pensiones promittunt se soluturos, ut facilius Ecclesias consequantur appellatione constante, Ecclesijs eo modo acquisitis spolientur.

Decimotercio quaeritur, Sed quid de eo Clerico, qui vel Parochialem Ecclesiam assequatur, mentitur, fructus excedere summam centum aureorum, ut pensio imponatur: cum tamen reuera eam quantitatem non attingat? Respondeo, hoc etiam condemnari in prædict. cap. Cum Clerici: quia cum in Concil. Trident. prohibeantur pensiones in beneficijs Parochialibus, cum eorum fructus 100. aureorum non superant quantitatem: ideo Clericus mentiendo exprimit, ac fingit beneficij fructus, ut ob pensionem alteri referuata, facilius beneficium potiat, cum tamen clam cum pensionario conveniat, nihil ei fore solvendum, si fructus ea non fuerint quantitate maiores.

Decimoquarto quaeritur, An pensionarius facere mentionem debeat pensionis, ad quam exigendam ius obtinet, cum beneficium impetrat à Romano Pontifice? Respondeo distinguendo: Aut ille beneficium impetrat iure, & titulo paupertatis, aut secus. Priore modo, debet facere mentionem, alioqui subreptitia literæ iudicantur, cum aliquid taceatur, quod expressum, difficiliorem redderet impetrationem. Posteriore modo, necesse non est fieri mentionem, cum pensio beneficij Ecclesiasticum non sit.

Decimoquinto quaeritur, An pensio possit alicui referuari cum conditione, ut eam dimittat: cum primum fuerit beneficium consecutus ipsius vitæ sustentandæ sufficiens? Respondeo, hanc quaestionem ei non absimilem esse. An liceat Episcopo ita cum Titio pacisci: Dabo tibi quorannis quinquaginta aureos, donec beneficium tibi aliquod contulero. In hac conventionem (ut respondeam quaestioni) aut Episcopus beneficium promittit se daturum Titio pro stipendio, quod in singulos annos erit ei soluturus, & tunc se inlicitè Simoniacè habet proculdubio: nam spirituale promittit stipendij loco alias debiti. Aut gratis beneficium promittit, & sic liber est ab omni Simoniacè vitio: id enim peius est, ac si conveniret cum Titio: Hinc ad tot annos stipendium tibi solvum, postea vero beneficium dabo. Ita & in præsentis quaestione, si Legatus Pontificis habens facultatem referuandi certas pensiones, cum Titio conveniat: Referuabo tibi pensionem annuam 50. aureorum, eo pacto, ut eam dimittas, cum tibi beneficium contulero: male pensionem referuat, quia promittit se beneficium daturum, sub conditione pensionis ab Titio relinquendæ: beneficium autem sub conditione nec conferri, nec promitti potest, cap. vlt. de pactis.

### CAP. XIII.

#### Alia quaestiones de pensionibus diluuntur.

Primo quaeritur, An fructus beneficij, in quo referuatur alteri pensio, eo ipso intelligantur tacita hypotheca obligati pensionario pro pensione sibi solvenda? Hanc quaestionem tractat Gigas de pensionibus quæst. 51. vbi dicit, eam esse pulchram, & tractatam à Ludouico Romano in consil. 388 quod incipit: In casu propositi thesauris, & à Paulo Castrenf. in consil. 338. cuius initium est: Quia exceptiones, volum. 1. Et Felino in c. Ad audientiam 2. de rescrip. Cacciaupo tractat. de pensionibus. qu. 9.

Duae sunt opiniones: Una est Ludouici Romani, affirmantis eos fructus esse tacite obligatos pensionario, ac proinde posse pensionarium agere hypothecaria actione contra quemlibet eorum fructuum possessorem: huc sit vniuersalis, siue singularis possessor. Id probat, quia ex litteris Pontificijs quibus pensio referuatur, apparet eam assignari super fructibus beneficij, quod tali onere grauat. Dicitio autem (*super*) iuncta in sermone certae rei, cui adiungitur, tacitam hypothecam inducit, l. *Coscillis*. §. *Institutio*. ff. de l. 2. vi. anni. *Bart. in l. Fundus*. ff. de annuis leg. Item quia pensio Rom. Pontificijs auctoritate conceditur Clerico loco alimentis, vt habeat vnde commode sustentetur sed quando quis mandat alimentis alicui praestari, & designat certam rem ex qua alimenta praestentur, ea res manet tacita hypotheca obligata pro alimentis soluendis, *Glo. in l. Lucius*. ff. de ali. vel ciba. legat. §. *in l. Casus*. ff. de annuis legat. §. *l. 2. de alimen. & ciba. legat.*

Altera opinio est Pauli Castrensis in *pradicto* conf. negantis fructus talis beneficij esse tacita hypotheca obligatos pensionario, quia peculiare, inquit, est in alimentis, vt ea res, ex qua sunt alimenta alicui conferenda, tacite obligetur, ergo locum non habet in pensionibus, neque in annuis legatis alicui. Idem ex verbis litterarum, quibus Pont. referuatur Clerico pensionem, constat eam esse soluendam ex fructibus Ecclesiae, ac quando beneficium est transferatum ad alium, fructus non sunt amplius veteris possessoris: ergo tali oneri non subiiciuntur. *Felin. loc. cit.* videtur subscribere sententij Pauli, ac Cacciaopus distinguit. Si pensio, inquit, loco alimentis Clerico detur, opinio Ludouici Romani est verax: si pensio referuatur Clerico pauperi. Si vero non conferatur tanquam alimentum, vt si referuatur Clerico diuiti: eo quod fuerit de Ecclesia bene meritis, tunc opinio Pauli magis ad veritatem accedit. Item distinguit: si fructus collecti, percepti, & consumpti fuerint a bonae fidei emptore, siue beneficij singulari successore, non sunt tacita hypotheca obligati pensionario, quia nunquam fuerunt prioris Beneficiarij obligantis beneficium. immo idem iuris est, inquit, si fructus extant apud talem emptorem, vel singularem in beneficio successorem. Si autem fructus tempore quo referuata est pensio, adhuc pendentes erant, tunc tales fructus tacita hypotheca sunt obligati pensionario, quia fructus quamdiu pendunt ex arbore, vel terra, censetur pars fundi leg. *Fructus*. ff. de rei vend. *Gigas* q. 117. generaliter ait, tales fructus esse pensionario tacita hypotheca obligatos, siue pensio loco alimentis referuatur Clerico indigentis, siue alia de causa Clerico abundanti: censet enim, non esse peculiare in alimentis, vt inducant tacitam hypothecam in re, ex qua solui debent. Sed id esse commune in quibusuis annuis legatis. At cum pensio, vel loco alimentis, vel saltem annui cuiusdam subsidij dari soleat, consequens est, vt fructus, ex quibus soluenda est, sint tacite obligati pensionario. Nam vt notat *Bart. in l. Lucius*. ff. de alim. & ciba. leg. §. *in l. Fundus*. ff. de annuis leg. quandocumque testator legat alimenta, & annua subsidia vitae, & certam rem designat, ex qua illa praestentur, tunc res illa tacita hypotheca est obligata: & quia pensio referuatur Clerico, vel tanquam alimentum, vel certe tanquam annuum vitae subsidium, eo ipso fructus beneficij, in quo pensio constituitur, tacite sunt pensionario obligati. Haec opinio videtur magis ad veritatem accedere. Causa enim pensionis est pia.

Secundo quaeritur, An pensionarius, spoliatus possessione vel quasi possessione pensionis in fructibus, certi beneficij referuata, possit iure agere de spolio, & petere vt auctoritate Iudicis restituatur pristinae possessioni? De hac quaestione tractat *Gigas de pensionibus* quest. 47. vbi dicit esse quaestionem quotidianam, & de ea sepius se fuisse consultum. In primis tunc pensionarius dicitur spoliatus possessione pensionis sibi assignata: quando pensionem petit ab eo, qui illam sibi soluere consueuerat, & a quo eam per plures annos acceperat, & ille soluere non vult: nam eo ipso quod soluere recusat, spoliare videtur pen-

narum possessione pensionis: Sic enim l. *potest*. m. *capit. Subor*. de sentent. & re iudic. inquit, *Tunc iudicium dicitur spoliare dominum sua quasi possessione iurisdictionis, quando ei parere renuit.* Et *Decius* conf. 136. quod incipit: *In casu tene-renti & praestantissimi viri.* ait: *Quando debitor census, vel pensionis recusat soluere creditori, quia non vult, & quia non potest, tunc intelligitur eum spoliare possessione census.* Et quia census, vel pensio non est res corporalis, cum sit ius quoddam, & possessio sumpta proprie solum rerum corporalium, ideo Iuris interpretes in hac parte dicunt, pensionarium non possidere, sed quasi possidere: & spoliari non possessione, sed quasi possessione, cum negat illi pensionem is, qui soluere consueuerat.

In hac quaestione dicendum est, pensionarium posse agere iudicio de spolio, & iudicio possessorio ad recuperandam pensionem. Hoc colligitur ex *Abbat. Innocentio & alijs in capitulo Peruenit. de cens. sic docet Gigas quaestione supra cit. n. 2.* Pensio enim, est onus reale impositum in fructibus beneficij: Item, est ius quoddam exigendi eam ex beneficio alterius, & quia est onus impositum beneficio, transit ad quemuis successorem in beneficio quamdiu pensionarius viuit: ergo pensionarius censetur spoliatus quasi possessione sui iuris, quando negatur illi pensio, quae ei solui consueuerat, ac proinde potest agere de spolio, & iudicio possessorio, & interdicto recuperandae possessionem. Et sic *Gigas*, sic sentit *Rota* decil. 24. *de restitut. spoliator. qua incipit: (Nota quod)* in antiquis, & *Abb. conf. 2.* incipiens: *In causa qua ad praesens vertitur inter Dominum Antonium & Dec. in conf. supra dicto 136. volum. 1. & Rota decil. 4. de restitut. spoliator. in nouis, qua incipit: Possessor beneficij & Cacciaopus, q. 18.*

In dubium vocatur, An in hoc casu in quo pensionarius iure potest agere de spolio, cogatur ostendere titulum, hoc est, ipsum ius pensionis, quod habet *Rota* apud *Gigas* rem q. 117. decil. 11. in antiquis, qua incipit: *(Nota quod in spoliacione)* de restitut. spol. dicit eum, qui affectu se esse spoliatum possessione, vel quasi possessione pensionis, prius ostendere debere se habere ius, quia in huiusmodi casu possessorem iudicium a petitorio separari non potest, eo quod non restituitur possessorem ius, quin petitorium restituatur, cum possessio in reb. in corporalibus haberi sine iure non possit l. 3. §. *Hoc autem*. ff. de itinere, actusq. priu. c. *transmissa*, de restitut. spoliator. Hanc *Rota* sententiam improbat *Decius* praefat. confil. 136. vers. *Nec obstat, quod possessorium*, eo quod verus est, quod dicit *Abbas* in cap. *Querelam*, de elect. notat 3. his verbis: *Nota, & tenementum istum extant, quod pro pensione nouiter subtracta, annuatim soluit praestari, nisi potest iudicio possessorio ad ipsius restitutionem: & probata praestatione soluta, debet actor reduci in eum statum, in quo prius erat, licet nihil doceat de proprietate iuris illam percipiendi.* Sic ille: *Gigas* quaestione citat numero 4. has duas opiniones conciliat, distinguendo: si pensionarius spoliatus possessione pensionis, fuit per multos annos in possessione illius, tunc vera est *Abbatis* opinio, non eogi pensionarium ad probandum ius pensionis, quia diuturna possessio inducit titulum, siue ius saltem praesumptum: & hoc sententiam etiam *Auditorum Rota* decisionem 4. citata, qua incipit: *Possessor beneficij, in nouis*, & *Innocentius*, in cap. *Transmissam*, de elect. Si vero in possessione per modicum tempus tunc non sufficit, vt pensionarius probet se possedisse, nisi probet etiam se habere ius pensionis exigenda: & hoc modo est vera opinio *Rota* decisionem 11. *pradicta*, in antiquis, qua incipit: *Nota quod si in spoliacione*: quia recens possessio, & ad modicum tempus habita, non videtur in iudicio titulum praesumptum iuducere. Haec sententia, meo iudicio, cum veritate, & cum iure ipso congruit. Quid si is qui agit iudicio possessorio, ad recuperandum id quo spoliatus est, causam alleget: cum tamen eam veram fuisse non probet? Respondet *Innocentius* in capitulo *Querelam*, de elect. quem sequitur *Angelus* l. 1. ff. de elendo, ei nihil nocere. Si dico, inquit *Angelus*, me spoliasti possessione annui beneficii mihi debiti ex certa causa, licet illa causa non probetur, sufficit

tamen ad victoriam, quod ego probem spoliationem. & dicit se illo anno ita consilium dedisse, & obtulisse.

Quid itidem dicendum, si pensionarius fuerit spoliatus perceptione pensionis vno anno tantum, & anno proxime sequenti perceperit, poteritne agere iudicio possessorio ad recuperandam pensionem, quae sibi est vno anno denegata? Respondet Giga questione citata numero 8. secutus Rotam decisione 13. quae incipit: Praeceptor. de restit. spol. posse agere. Dubium quoque est, An si Rector certae Ecclesiae, qui per multos annos percepit pensionem suae Ecclesiae, debitam ab altera Ecclesia, mortuus fuerit, & successerit alius in eo beneficio, possit successor agere de spolio contra Rectorem Ecclesiae obligatam ad soluendam pensionem, qui illam soluere sibi renuit: Ratio dubitandi est, quia eiusmodi successor nunquam fuit in possessione iuris eam exigendi. Respondeo, cum Gigante qua. cit. n. 9. & cum Rotam decis. 4. in nouis. sup. cit. quae incipit: Possessor beneficii. posse agere, quia non ipse Rector, sed Ecclesia, cuius est Rector, videtur agere: & Ecclesia fuit in possessione.

Idem iuris est, si quis fuit in possessione iuris exigendae certae pensionis ex fundo alterius, si moriatur is, qui eam soluere consueuerat, & successor in illo fundo nolit eam soluere, poterit agi contra eum iudicio possessorio pro eius recuperatione, quamuis eam ipse nunquam soluerit. Sic Guido Papae decis. 529. quae incipit, Supra dicit. domi. Petrum, & probat, quia ex variatione personarum non mutatur ius actoris, quia praecessor, & successor etiam in officij, & dignitatibus vna, & eadem persona censentur, ut Doctores annotant in cap. quoniam. de officio delegat. & Glossa in cap. gratioso. de rescript. in 6. Sic etiam sentit Giga quaest. citata. nu. 10.

Tertio quaeritur, An pensio ex toto, vel ex parte remitti debeat, si fructus beneficii fuerint ex parte diminuti, vel ex toto perierint casu aliquo, videlicet, vel bello, vel hostium incurfu, vel incendio, vel inundatione aquarum, vel sterilitate agrorum? Hanc quaestionem tractat Giga de pensio. q. 62. Dux sunt opiniones: Vna asserent eum, tunc remitti debere. Sed Paulus Castrensis in concil. 318. quod incipit: Quia exceptiones. vers. Pro intellectu huius auby: volum. 1. distinguit in hunc modum: Quando fructus gratia taxationis sunt assignati, tunc nullis fructibus existentibus pensio non debetur, quia videtur tacita conditio subesse, si fructus nascentur. Interdum ff. de verbo. obl. l. 1. ff. de conditio. & demonstrat. Quando vero fructus assignantur gratia demonstrationis, demonstratio non restringit. l. Paulo Callimacho §. vltim. ff. de legat. 3. Et quia eum referatur alicui pensio ex beneficio alterius, fructus assignantur gratia taxationis, non demonstrationis, ideo si fructus, ex toto, vel ex parte perierint, pensio non debetur. Sic etiam Felin. in cap. Ad audiendam. secundo, de rescript. vers. sexta conclusio, ubi dicit sic sensisse Abbatem in 2. Nisi essent. Hanc sententiam habet Bellenci. in tract. de subsidio charitativo. qu. 34. & Ludouicus Romanus consil. 369. quod incipit: Circa primum propositae consultationis articulum. vers. Quod sextum. Gozadi. consil. 83.

Si quaeras, Quando fructus intelliguntur assignati gratia taxationis, aut gratia demonstrationis? Respondent Paulus Castrensis & Felin. loc. sup. cit. tunc censeri assignatos fructus gratia taxationis, quando vnica oratione dicitur, ut pensio huic vel illi soluatur ex fructibus, certi beneficii: tunc vero assignantur gratia demonstrationis, quando primum dicitur, ut tanta pensio soluatur Titio Clerico, & deinde exprimitur fructus, ex quibus solui debeat v. g. Si dictum sit: soluas pensionem Titio Clerico ex his, aut illis redditibus, tunc nominantur gratia taxationis, non demonstrationis. Si vero dictum sit: soluas pensionem centum aureorum, & deinde dicatur, soluas eam ex fructibus huius, vel illius beneficii, tunc fructus nominantur gratia demonstrationis. Et quia pensio referuari solet primo modo, ideo non debetur, secundum hanc opinionem, si nulli fructus casu aliquo extiterint. Altera opinio affirmat esse soluendam pensionem, etiam si ali-

quo casu fructus ex toto, vel ex parte perierint. Haec opinio vlti Curiae Romanae est recepta, vt ait Giga quaest. cit. numero 10. & seqq. Et addit, ita olim sensisse Alexandrum Vincentinum in consil. quodam. quod ad verbum ponit Giga loco citato. Et ratio huius est valde fauorabilis, tanquam pia, & tanquam referata Clerico pro alimentis. & Bartolus in l. Lucius. vers. Quero. pone quod testator. ff. de alimen. vel cibor. lega. dicit alimenta debent integra, etiam si sint assignata in certo fundo, ex quo tantum non solet percipi, quantum requiritur ad integra alimenta. Item quia successor in beneficio onerato pensione debet soluere pensiones praeteritas, quas Beneficiarius antecessor non soluerat, & tamen huiusmodi successor in beneficio fructus praeterito tempore non percepit. Item Beneficiarius obligatus pensionario ad soluendam pensionem, debet eam etiam primo anno, quamuis secundum consuetudinem aliquarum Ecclesiarum receptam nullos fructus primo anno percipiat. Accedit, quod etiam si beneficii fructus aliquo anno sint multo vberiores solito, pensio nihilominus non debetur maior, quam sit ab initio assignata: ergo debetur, etiam si aliquo anno fructus decreuerint.

Si obijcias: Pensio est onus reale impositum in fructibus beneficii: ergo si nulli sint fructus, ea non debetur: perreunte enim re petit onus, quod est in illa. Respondeo, pensionem esse onus impositum in beneficio alterius. Vnde quamdum quis habet beneficium, debet pensionem soluere: item quamuis pensio sit onus reale, nihilominus tamen in litteris Pontificijs apponit clausula, qua Pontifex obligat pensionario ipsum beneficium, & quemuis alium in beneficio successorem. & inde est, vt si Beneficiarius aliquo anno pensionem non soluerit, quia non potuerit, eo quod fuerit vel in carcere detentus, vel caprus ab hostibus, debeat soluere pensionem illius anni in annis sequentibus. Giga q. 75.

Quarto quaeritur, Quid sit dicendum, quando Canonicus, in cuius Canonicatu est annua pensio alicui soluenda, constituta, Canonicatum dimittit, & alium optat secundum consuetudinem in multis Ecclesijs vsu receptam in quibus datur optio Canonice, vt antiquior optet Canonicatum pinguiorem vacantem? De hac quaestione Giga de pensionibus quaest. 36. Dicendum est, quando occurrit in Ecclesia Canonicatus sunt ipsa distincti, ita vt Canonici singulos habeant Canonicatus, tunc dubitari non potest, quin ille soluere pensionem debeat, qui dimissum Canonicatum, & pensionem grauatam fuerit assecutus. Is enim, qui optando ad ditiores Canonicatum ascendit, immunitus est ac liber ab onere pensionis, quia assignatur Canonicatum tali onere liberum. Si autem Canonicatus non sunt distincti, sed Collegium Canonicorum singulis annis ministerio & opere procuratoris vel Syndici distribuit in singulos Canonicos certam portionem fructuum in frumento, vino, oleo, vel pecunia consistentem, tunc optans debet pensionem soluere, sicut antea, quia per optionem non est nouum Canonicatum consecutus, sed solum vberiorum fructuum portionem. Sic Rota decis. 470. quae incipit: Quanti temporis, in nouis. Giga quaestione citata n. 3. & 4.

Quinto quaeritur, Quid sit dicendum, si Titius Pensionarius anticipatis solutionibus receperit à Caio Beneficiario pensiones trium annorum sequentium, & deinde ius suae pensionis transfulerit ad Seium potestate legitima superioris, An Caius beneficiarius debeat soluere pensiones eorum trium annorum Seio nouo Pensionario, etiam si eas soluerit Titio antiquo Pensionario? Giga de pensionibus, quaestione 88. dicit, hanc quaestionem esse pulchram, & notabilem, & à nemine disputatam, & in vitamque partem argumenta proponit, & concludere videtur numer. 5. Seium, si res secundum aequitatem expendatur, ad quem est translata pensio, non posse exigere à Caio Beneficiario pensiones trium annorum, quas anticipatae soluerat Titio Pensionario, quia solutione eius quod debetur, obligatio tollitur. l. Nihil interest, C. de sci. & inf.

Quibus

Quibus mod. toll. ob. Ergo sicut Titius cum recepit anticipatas illas pensiones, eas petere non potest, sic nec Seius, qui videtur loco Titij subrogatus per translationem pensionis, & subrogatus naturam & conditionem sortitur eius, in cuius locum subrogatur. *l. Si eum, §. Qui iniuriarum, ff. Si quis cautionib. Item ratio bonæ fidei non patitur, ut bis idem exigatur, ca. Bona fides, de Regul. Iuris in sexto & l. Bona fides, ff. de d. tit. Dicendum itaque est, quidquid Gigas sentiat, Seium, ad quem est translata pensio, posse iure exigere à Caio rectore beneficij pensiones illorum trium annorum, quas anticipare soluerat Titio primo pensionario: Ratio huius est, quia cum ex vno ad alium pensio transferretur, noua pensio constituitur, & imponitur beneficio, & antiqua extinguatur: non enim pensio vacat, aut impetratur sicut beneficium: ergo cum Seius nouam pensionem obtinuerit, impositam in beneficio Caij, consequens est, ut possit exigere à Caio pensiones, etiam si eas Titio soluerit anticipatis solutionibus: sibi enim imputet Caius, quod eas soluerit anticipare Titio Pensionario, quia scire debebat, pensionem extinguere, cum transferretur, & consolidari cum ipso beneficio, in cuius fructibus erat constituta: ac proinde anticipata solutio facta Titio, ipsi Seio nocere non potuit. Eadem ratione si Prelatus rem Ecclesiæ locauit ad aliquot annos, & toto eo tempore locationis mercedem recepit, & postea moriatur, talis solutio nihil nocet successori, *ca. vit. de pecul. Clericor. l. Si quis domum, §. 1. ff. locat.* Sic etiam usufructuarius locatæ nequit fructus vitæ vitam suam. *l. Si quis domum citata, & Pensionarius æquiparatur usufructuario, ut probat Gigas de pensionibus, qu. 1.**

Sexto quæritur, Quid dicendum, quando statuto, vel consuetudine alicuius Ecclesiæ receptum est, ut nouus Canonicus debeat dare Canonicorum Collegio dimidiam partem omnium fructuum duorum primorum annorum: Finge Titium esse in Canonicum illius Ecclesiæ milium, in cuius Canonicatu Romanus Pontifex referuauit Caio Clerico annuum pensionem. Quæstio est, An Titius Canonicus persolvere debeat integram dimidiam partem fructuum illorum duorum annorum Collegio prædictæ Ecclesiæ sine detractioe pensionis, verbi gratia. Fructus Canonicatus sunt trecenti nummi aurei, & pensio referuata est centum aureorum, quæritur iam, An Titius solueret debeat Canonicis illius Ecclesiæ ducentos aureos, An vero trecentos? De hac quæstione Gigas de pensio. quæst. 39. Videtur dicendum, Titium prædictum Canonicum solum debere solueret Canonicis Ecclesiæ dimidiam partem fructuum duorum primorum annorum detracta in primis pensione: Id probat Gigas quæst. citata auctoritate Bald. l. 1. C. de fructib. & litis expensis, ver. Pone impetrari à Papa, vbi ait Fructus, & redditus beneficij considerari debere detracta pensione: Vt si quis, inquit, impetrauerit beneficium à Papa, cuius fructus annui sint 200. nummi aurei, vi huiusmodi priuilegij poterit habere beneficium 300. aureorum, si huiusmodi beneficium sit pensio, vel onere grauarum 100. aureorum, quia tale beneficium re ipsa non dicitur habere redditus annuos nisi 200. aureorum. Et in l. Sed si hoc §. Quidem, ff. de Cond. & demonst. dicitur tantum valere beneficij redditus, quantum valent deductis oneribus. Idem dicit Alexand. & Paul. Casstr. in l. Non amplius, ff. de legat. 1. Dec. in consil. 156. quod incipit: Statutum Casbedralis.

Septimo quæritur, An Regula Cancellariæ, qua cautum est, ut si Clericus resignans beneficium, non superuiuat per dies 20. à resignatione facta, beneficium resignatum intelligatur vacare per obitum, non per resignationem: locum etiam habeat in Pensionario, sicut in Beneficiario, v. g. Titius Pensionarius habens à Papa potestatem transferendi pensionem ad alium, vi huiusmodi potestatis transtulit ad Caium, & decessit ante 20. dies à translatione facta, An hæc translatio habeat vim? Respondeo cum Gigante de pensio. qu. 58. non valere, quia pensio, ut superius dixi, non est beneficium Ecclesiasticum,

nec appellatione beneficij comprehenditur, ut probat Gigas q. 28. nec potest cum beneficio Ecclesiastico permu-  
tari. Gigas qu. 33. nec Pensionarius villo iure cogitur reside-  
re in Ecclesia, in qua pensionem habet. Gigas quæst. 31. item pensio simul haberi potest cum beneficio sub eodem  
recto Gigas q. 32. Regula vero Cancellariæ solum loquitur  
de beneficijs Ecclesiasticis resignatis. Sic etiam sensu  
Gomezus in prædicta Regula Cancellariæ, q. 16.

Octauo quæritur, An Titius Pensionarius priuilegium habens à Papa, ut nullo modo cogi possit ad decimam Papalem soluendam ex pensione, & nihilominus à Collectore decimarum Apostolico cogitur eam solvere, sibi noceat si soluerit, ne vexetur, protestatus tamen, ut suum priuilegium saluum, & integrum maneat? Respondeo, cum Gigante, quæst. 61. huiusmodi protestationem ei prodesse, ut colligitur ex Bartolo in l. 1. C. de his, qui sponte publica munera subeunt. lib. 10. & Ludouico Romano in consil. 252. quod incipit: Pro decisione proposita consultationis, vbi quærit, An solutio onerum aliquando facta per eos, qui habent priuilegium immunitatis, protestatione præmissa noceat eis? Et dicit non nocere, quod probat auctoritate Doctorum in l. Voluntaria. C. De excusatione tutela, & in cap. Accedentibus, de Priuileg. & cap. Cum accessissent, de Constit. Ratio huius est, quia talis solutio non est sponte facta, siquidem Titius Pensionarius soluit, ne vexetur. Item quia soluit eo pacto, ut suum priuilegium esset illud, & saluum: secus esset, si Titius nulla præmissa protestatione decimam solueret, tunc enim dicendum esset id, quod dici solet in ea quæstione, An per actum contrarium quis suo priuilegio renuntiare videatur? de qua quæstione Felin. & alij in cap. Cum accessissent, de Constitus. & Innocent. in cap. Accedentibus, de Priuileg. Cardinal. in Clem. sapo, §. Si tamen, qu. 20. de verbor. significatione. Bartol. & Alexand. in l. Beneficium, ff. de Constit. Principum.

Decimo quæritur, Quid sit dicendum, si Titius impetrauerit à Papa annuam pensionem referuata in fructibus beneficij quod Caius habet, & per tres, vel quatuor annos literas Pontificias excipiendas Titius non curauit, & interim mortuus est Caius, qui beneficium possidebat eo tempore, quo fuit referuata pensio Titij, & postea Titius literas Pontificias obtinuit, & eas Seio in beneficio possessori denuntiauit, An possit Titius à Seio exigere præteritas pensiones trium, vel quatuor annorum? De hac quæstione Gigas de Pensionibus, qu. 10. In primis ratio dubitandi est, quia Titius culpa sua per tres, vel quatuor annos Pontificias literas impetrare non curauit, ergo sibi imputet. Deinde Seius per tres vel quatuor annos nullos fructus ex beneficio percepit, ergo nullo iure cogitur pensiones præteritas solueret. Nihilominus dicendum est, ut recte ait Gigas quæst. citata, posse iure Titium exigere à Seio nouo beneficij possessore, prædictas præteritas pensiones, quia ut sæpe dictum est, pensio est onus quoddam reale beneficio impositum, ac proinde transit ad quemcumque, qui in beneficio succedit. Nec obstat, si nullos fructus ante perceperit: satis enim est, si habeat beneficium tali onere grauarum. Nec iudem impedit, quod Titius per tres, vel quatuor annos literas Pontificias culpa sua non impetrauerit: quia eo ipso quod Papa ante tres vel quatuor annos pensionem annuam referuauit Titio, debentur ei pensiones illorum annorum secundum conscientiam.

Finis Libri Octauis.